34.A.1781.8



THE
GEORGE · BURGESS · MAGRATH
LIBRARY
OF · LEGAL · MEDICINE
FOUNDED · IN · HIS · HONOR
1933

Harvard Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

c 65

01x
25

105

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/elementamedicina00plen

ELEMENTA
MEDICINÆ, ET CHIRURGIÆ
FORENSIS.

J. Plenk — né à Vienne en 173[illegible]
mort à Vienne en 1807 —

JOSEPHI JACOBI PLENK

Chirurgiæ Doctoris, nec non Chirurgiæ, Anatomes, atque Artis obſtetriciæ Profeſſoris Regii, publici ac ordinarii in Regia Univerſitate Budenſi.

ELEMENTA MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ FORENSIS.



Oportet hoc in caſu animum habere ab omni adfectu, & perturbatione liberum ac vacuum: credendo Deum καρ-διογνωσιν nobis adeſſe.

M. SEIBIZIUS *in Ex. Vuln. p. III.*

VIENNÆ,

APUD RUDOLPHUM GRAEFFER.

1781.

DE PRONY

HARVARD MEDICAL SCHOOL
LIBRARY OF LEGAL MEDICINE
10 JUL 1946
Gift: Mrs. Frances G. Lee
LM 34. A. 1781. 2

EXCELLENTISSIMO,

AC

ILLUSTRISSIMO

DOMINO

CAROLO

E COMITIBUS

PALFFY AB ERDÖD

PERPETUO IN VÖRÖSKEÖ, ARCIS ET DOMINORUM MARHEK, DÉVEN, DETRÉKŐ, ET BATORSKESZY

HÆREDITARIO DOMINO

I. I. COMITATUUM POSONIENSIS QUIDEM PERPETUO, ZEMPLINIENSIS VERO

SUPREMO COMITI,

ARCIS REGIÆ POSONIENSIS HÆREDITARIO CAPITANEO S. C. ET R. A. M. CAMERARIO, ET ACTUALI INTIMO STATUS

CONSILIARIO,

)(3

NEC NON PER I. REGNUM HUNGARIÆ

PRO-CANCELLARIO

AULICO HUNGARICO,

HOC SUI CULTUS MONUMENTUM SACRUM ESSE VOLUIT.

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Medendi artem rei publicæ non ſolum pacis belliqueue tempore in ſervandis civibus ingentia adferre commoda & utilitates, ſed etiam jurisprudentiæ nullum eſſe forum, quod in cauſis dirimendis Apollineæ ſcientiæ ſuffragio carere poſſet, nemo non, niſi cui occaluit cerebrum, iverit inficias.

Sive enim rem publicam legibus temperet Princeps, ſive cujuscunque fori cauſas enaſcentes Themidis libra ponderet; ſemper Hygeæ judicio, Machaonisve in caſibus non paucis idiget ſcalpello. Sine forenſis enim medicinæ judicio, perſæpe vulnerator involuntarius nec lethaliter lædens capitis damnaretur; innocens mater infanticidii morte plecteretur; miſer melancholicus infami autochiri ſepultura afficeretur. Sine hujus ſcientiæ ſtudio hodieque pyræ in noſtris regionibus pro infelicibus ſagis arderent; hodieque carnificis manus vapyrorum pectora palo perfoderet; hodieque non raro in torturam illud Juvenalis *retorqueri poſſet:* Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas; *hodieque deſipientis hominis atra bilis vel nefarii ſimulatoris fraudulentia exorciſmo tentaretur; hodieque ementita miracula ſanctiſſimæ*

religionis noſtræ puritatem polluerent, atque ſexcenti alii errores cum ingenti generis humani opprobrio ac pernicie admitterentur.

Ex his autem effici poteſt; quanto operæ pretio hæc medicinæ pars excolenda, docenda, perdiſcenda ſit, quamque arctum ei cum ſacra, & profana Jurisprudentia ſit vinculum.

Partes medicinæ forenſis, quæ forum politicum ſpectant, paucis ſolummodo adumbravi lineis, cum nuper abſolutiſſima de hoc argumento illuſtris viri, celeberrimi FRANK *lucubratio cum ingenti omnium litteratorum ſuffragio lucem adſpexiſſet. Mearum etenim partium ſolummodo eſt uberrimas hujus ſcientiæ opes in exiguum aphoriſmorum faſciculum, qui prælectionibus academicis commode inſervirent, colligere.*

ELENCHUS

CONTENTORUM.

PAG.

De medicina forenſi generatim.......................... 1

QUÆSTIONES

EX

FORO CRIMINALI.

INSPECTIO cadaverum legalis. 2

Signa homicidii per vulnus.................. 13

—— ——— — contuſionem. 21

—— ——— — ſuſpenſionem. 24

—— ——— — ſubmerſionem............ 27

—— ——— — ſuffocationem. 29

—— ——— — toxicationem.. 32

—— ——— — ineptam curationem........ 31

—— autochiriæ............................. 39

De infanticidio generatim. 43

Signa infanticidii per vulnus. 48

—— ——— — contuſionem. 49

—— ——— — ſuffocationem............ 51

Pag.
Signa infanticidii per eſamationem...... 57
—— ——— — frigus.... 57
—— ——— — ignem. 57
—— ——— — ſubmerſionem. 54
—— ——— — neglectam funiculi umbilicalis deligationem.......... 55
—— ——— — neglectam debilitatem infantis. 58
—— procurati abortus. 58
—— ſubjecti pro tortura. 62
—— —— — ſufferenda pœna............ 64
Excuſatio delinquentis.......... 66

QUÆSTIONES
EX FORO CIVILI.

Signa capacitatis hæreditariæ infantis. 70
—— patris illegitimi............. 70
—— matris illegitimæ. 71
—— infantis vivi nati. 71
—— —— mortui nati. 72
—— —— maturi. 72
—— —— præmaturi ſeu vitalis............ 74
—— —— immaturi ſeu non vitalis 77
—— —— ſerotini......................... 79
—— —— ſuppoſiti.. 81

PAG.
Signa infantis ſuperfetati. 82
—— —— primogeniti gemellorum. 83
—— graviditatis ſimulatæ........ 84
—— ———— celatæ.......... 85
—— partus prægreſſi.................... 87
—— —— ſimulati. 88
—— molæ enixæ........................ 89
—— deflorationis. 90
—— ſtupri violenti............. 93
—— —— non-naturalis. 95
—— ætatis..... 96
—— morbi ſimulati. 99
—— —— celati. 105
—— —— imputati. 107

QUÆSTIONES
EX FORO CANONICO.

De divortio generatim..................... 109
Signa ſterilitatis muliebris....... 110
—— impotentiæ virilis. 115
—— monſtri. 120
—— ſexus dubii..... 121
—— dæmoniæ. 125
—— magiæ....................... 128
—— ſpectri........... 133

PAG.
—— miraculi. 133
—— ſubjecti pro baptiſmate. 136

QUÆSTIONES
EX FORO POLITICO.

De politia medicinali generatim. 140
Cura magiſtratus pro conſervanda ſanitate publica. 141
—— ———— tempore morbi contagioſi. 146
—— ———— pro civibus ægrotis. 149
—— ———— — aſphyctis. 151
—— ———— — matrimonium ineuntibus. 157
—— ———— — populatione augenda. . . . 158
—— ———— — gravidis. 161
—— ———— — parturientibus. 162
—— ———— — neonatis. 163
—— ———— — educatione phyſica infantum 164
—— ———— — mortuis. 165
—— ———— tempore luis pecorum 170
—— Principis pro ſcholis medentium. 173
—— magiſtratus pro ſoſtro medentium. 182

DE

MEDICINA FORENSI GENERATIM.

SCIENTIA, quæ inquiſitionem caſuum legalium ſcientia medico-chirurgica eruendorum docet. *Medicina forenſis*, vel *legalis* dicitur.

Aptius vero hæc ſcientia *Semiotica legalis* vocaretur.

ORIGINEM, *FATA*, & optimos *authores* hujus ſcientiæ *Hiſtoria litteraria* medicinæ forenſis docet. *

OBJECTUM hujus ſcientiæ ſunt omnes corporis humani læſiones, vel actiones, quæ vitam, vel ſanitatem, vel felicitatem publicam lædunt.

INQUISITORES caſuum medico-legalium viri ſint oportet omnium medicinæ, & chirurgiæ partium exactiſſime gnari; a foro medico legitime probati; honeſtate non corrumpenda noti; & juramento ad veritatem dicendam adſtricti.

Facta inquiſitione a medico, & chirurgo legali ſcripta *renunciatio*, ſeu *viſum repertum* caſus in-

---

* De VIGILIIS *Bibliotheca chirurgica*. Vol. 1. p. 596.

quiſiti ad judicium, ad quod pertinet, legitime conſignatum deponatur.

Forum judicii quadruplex eſt, *criminale*, *civile*, *canonicum*, & *politicum*.

QUÆSTIONES MEDICO-LEGALES EX FORO CRIMINALI.

INSPECTIO CADAVERUM LEGALIS.

Eſt inquiſitio cadaveris coram judice criminali. *

Hæc dividitur.

1. in inſpectionem *externam*, quæ ſine cadaveris apertura fit.
2. — ——— *internam*, quæ apertis corporis cavitatibus inſtituitur.

Indicatur inquiſitio legalis in cadaveribus hominum,

1. qui poſt acceptam quamdam *violentiam* externam moriuntur.
2. qui in *viis publicis*, vel ocultis locis *mortui reperiuntur*.

* *Cel.* Daniel *inſtitutionum medicinæ publicæ edendarum adumbratio cum ſpecimine de vulnerum letalitate. Lipſiæ* 1778.

3. qui mortui ex *aquis* extrahuntur.
4. qui *autochiri* vel ſunt, vel fuiſſe creduntur.
5. qui *veneno* interierunt.
6. qui ab *agyrtis* tractati moriuntur.
7. ſi *infanticidii*, vel *abortus procurati* ſuſpicio in cadavere infantis deprehenditur.

Contraindicatio. Si tanta jam adeſt putredo, ut nihil certi ex ſectione erui poſſit, ac ne ſecantes morbum absque inquiſitionis fructu contrahant, inſpectio ſaltem interna omitti ſolet.

Personæ judiciales ad sectionem legalem necessariæ.

Ut inſpectio legalis ſuum habeat valorem, neceſſario requiruntur ſectioni præſentes,

1. *Judex*, vel *duo ſcabini*, quibus competit jurisdictio criminalis, ut ſecantes chirurgi teſtes fide dignos habeant.
2. *Actuarius*, qui neceſſarius eſt, ut omnia, quæ durante ſectione, & inſpectione obſervantur, fideliter conſignet. Hujus conſignatio *Regiſtratura viſi reperti* dicitur.
3. *Medicus legalis*, qui ex parte medicinæ de vera mortis cauſa judicat, & qui attentus eſt, ut obſervata in cadavere ab Actuario rite conſignentur.
4. Duo *chirurgi legales*, qui cadaver rite, & juxta leges ſecant, atque conſtitutionem partium externarum præſentibus reliquis perſonis judicialibus coram oculos ponant.

5. Bonum eſt, ſi medicus, & chirurgus, qui denati ad mortem uſque *curam* habuerunt, ſimul ſint præſentes.*

Volunt cæterum leges, ut omnes hæ perſonæ judiciales juramento ſint conſtricti, & ut medicus, atque chirurgi a judice ad inquiſitionem legalem ſint requiſiti, alias inſpectio talis eſt *illegitima*, nullumque habet valorem.

Locus pro sectione.

Locus, in quo ſectio celebratur, ſatis ſit lucidus, & amplus; adeoque camera ſpatioſa, vel ſi talis deſit, potius atrium, aut horreum, imo ipſa domus area, vel hortus eligatur.

Situs cadaveris.

Cadaver denudatum magnæ tabulæ, vel aſſeribus duobus, ſcamnis altioribus ſuffultis, imponatur.

Tempus pro sectione.

Oportet cadavera, quam citiſſime poſt obitum rimari, ne ſuperveniens putredo inſpectionem incertam, aut plane irritam faciat.

Instrumenta, et suppellex pro sectione.

Instrumenta ad ſectionem legalem neceſſaria, ſunt,

Culter tonſorius.

3. Scalpella majora.

3. ——— minora.

---

* *Cel.* Heisteri *diſſ. de medico vulneratum curante a ſectione cadaveris non excludendo. Helmſtad.* 1749.

2. Scalpella bipennia.
Forfex recta.
—— curva.
2 Volſellæ.
2 Hamuli, ſimplex & duplex.
Tubus cum epiſtomio, & 3 canulis.
2 Specilla.
2 Sulci.
Serra arcuata cum laminis.
Inſtrumentum ad cranium elevandum.
Spatha ad deglubendam duram matrem.
Culter ad ſecandum cerebrum.
2 Cunei.
Malleus.
Syringa pro injectione.
2 Acus magnæ, & rectæ.
2. —— —— — curvæ pro ſutura cadaveris.
Ligamen tenue, nigrum, ſericeum.

ORDO SECTIONUM.

Ab earum partium regione ſectio inchoanda eſt, in qua ſigna violentiæ perpeſſæ deprehenduntur.

Si vero nulla violentiæ externæ ſigna appareant, tunc ſectio capitis aperturæ thoracis, & hæc abdominis aperturæ ad evitandam nimis diuturnam fœtoris moleſtiam commode præmittitur.

Omnes *tres principales* corporis *cavitates* ſunt aperiendæ, nec non ſpecus vertebralis, & collum examinetur.

PARTES CIRCA VULNUS, tam diu relinquantur integræ, donec cavitas aperta eſt.

INSPECTIO CADAVERIS EXTERNA.

In *externa* cadaveris *ſuperficie* omnium primo examinandum eſt, an cadaver jam *putridum*, an adhuc *incorruptum* ſit.

Si *ſigna putredinis* jam adſint, tunc adnotetur, an hæc in toto corpore, an ſolummodo hinc inde, an in una tantum parte obſervetur.

SIGNA PUTREDINIS in toto corpore ſunt,

1. *Veſicæ* luteo liquore repletæ.
2. *Cuticula* a ſubjecta cute facile ſeparanda.
3. *Livor* cutis, unguium & ſcroti.
4. Intumeſcentia *emphyſematoſa* totius cadaveris.
5. *Fœtor cadaveroſus*, ſeu putridiſſimus ex cadavere exhalans.

Si cadaver adhuc *incorruptum* deprehendatur, tunc tota externa cadaveris ſuperficies a capite usque ad calcem eſt perluſtranda, nempe

1. an quid *violenti* appareat, nempe ſugillatio, vulnus, contuſio, fractura, luxatio, inflammatio, gangræna &c.
2. an non ex ore, naſo, auribus, vagina uteri, vel ex ano ſanguis, vel pus, vel aliud quid *exeat*, aut
3. an his aperturis quid *heterogenei* immiſſum deprehendatur.
4. Si *vulnus* in cadaveris ſuperficie animadvertatur, tunc læſionis figura, longitudo, latitudo, profunditas, locus regionis, & numerus exacte adnotetur. Idem de ecchymoſi, & aliis læſionibus notandum eſt.

6. Demum examinetur probe cadaveris totus *habitus*, utrum ſit macilentus, vel obeſus; an *facies* palleſcat, vel liveſcat, & an non *morbi externi*, vel *interni* adſint *ſigna*, ut hydrops, icterus, exanthema, rigiditas tetanoidea, hernia, vel prolapſus &c.

INSPECTIO CADAVERIS INTERNA.

Apertura cranii.

Cranii apertura exigit,

1. ut ſectio *cruciata* fiat per omnes partes molles ad cranium usque; ſectio *prima* a naſi radice ad nucham occipitis, ſectio *ſecunda* ab una aure ad alteram pergat.

2. Spatha, & ſcalpello *omnes partes molles* cum pericranio a cranio adeo ſeparentur, ut illud totum appareat nudum. Jam examinetur, an in *ſeparatis* partibus mollibus ecchymoſis inveniatur, aut an in *externa cranii ſuperficie* fiſſura, fractura, contrafiſſura; impreſſio, vel alia obſervetur læſio.

3. Tandem ſerra caute, & profunde ſatis incidatur *calvaria*, hæc vecte elevetur, & auferatur ab encephalo. Videatur jam an interna cranii tabula ſit integra, vel læſa; an nullus ſuper dura matre ſit ſanguis, vel ſerum, vel pus gelatinoſum effuſum.

4. Dein caute cruciata ſectione auferatur *dura mater* a cerebro.

5. Demum *eximatur* cerebrum, & poſtea cerebellum; examinetur an in cerebri ventriculis nulla effuſio ſanguinis vel ſeri, an cerebri ſubſtantia ſanguine turgida, vel inflammata, vel ſuppurata, an juſto durior, vel mollior ſit. Demum

6. an in *baſi cranii* nulla effuſio liquidi ſit, & an vaſa, & ſinus duræ ſint ſanguine vacui, vel nimis pleni.

Sed bene diſtinguatur ſanguis extraverſatus ante mortem ab eo, qui ſub ſectione cranii a læſione ſinus longitudinalis ſuperioris, vel ſinuum lateralium circa regionem occipitalem fere ſemper effunditur. Sanguis *ante* mortem effuſus eſt coagulatus, qui *poſt mortem* ſub ſectione effunditur, eſt liquidus.

Apertura thoracis.

1. A jugulo recta deorſum, & ultra cartilaginem enſiformem ſterni usque fiat *ſectio longitudinalis.* Dein ab enſiformi cartilagine in utroque latere fiat *ſectio obliqua* ſub coſtis veris incipiendo, ac verſus dorſum finiendo.

2. Separentur cultro omnes *partes molles* in utroque latere thoracis a ſterno, & a coſtis.

3. Cultro, ſeu ſcalpello robuſto juxta ſternum *pars cartilaginea coſtarum* ſpuriarum, & omnium verarum utroque latere ſingillatim perſcindatur.

4. His perſciſſis *ſternum* manu ſurſum verſus collum elevetur, & reclinetur, ut mediaſtinum a ſterno ſeparari poſſit, & cavum thoracis ſufficienter pateat.

Jam videndum eſt, an in cavo *thoracis*, vel cavo *pericardii*, vel ſpatio *mediaſtini* antico, aut poſtico

nullus ſanguis, vel aqua, vel pus ſit *effuſum*,

An *cor* ſit ſanum; an nullus polypus verus in ejus vaſis majoribus hæreat, an ejus cava ſint ſanguine vacua, vel repleta.

An in *pulmonibus* nullum ulcus, vel vomica, an illis tubercula dura, vel ſpuma mucoſa, aut ſanguinea inſit, an vulnus vel inflammatio, in illis appareat.

Apertura abdominis.

1. A ſterni cartilagine enſiformi ad ſymphiſim oſſium pubis fiat *ſectio longitudinalis.*

2. Dein ab umbilico fiat in utroque latere abdominis *ſectio tranſverſa* per omnes *partes continentes* abdominis verſus lumbos usque, & cruciatim ſectarum partium lobi adeo reflectantur, ut abdominis cavitas bene pateat.

Jam aperto abdomine generatim inquiratur,

1. An nulla ſanguinis, puris vel aquæ *effuſio* adſit

2. An externa *viſcerum* ſuperficies, ſitus, color ſit naturalis. Vel an viſcus vulneratum, contu-

ſum, ſugillatum, ruptum, inflammatum, aut purulentum, gangrænoſum, induratum, vel tabidum deprehendatur.

3. Demum *ventriculo*, & omnibus *inteſtinis* forfice apertis examinentur *contenta*, & interna harum partium *ſuperficies*.

4. Idem examen in *reliquis* abdominis, lumborum, ac pelveos *viſceribus* eſt inſtituendum.

Apertura specus vertebralis.

Diſſectis *partibus mollibus*, quæ vertebras in dorſo tegunt, cuneo, ac malleo diſcindantur crura apophyſium articularium, & ſpinoſarum, ut his exemtis medulla ſpinalis bene in conſpectum veniat. Sic examinari poterit

An *medulla ſpinalis* ſit integra, & ſana, vel

An hæc ſit læſa, ſugillata, effuſo humore preſſa, vel inflammata, aut vertebra luxata, fractave aut alio vitio vexata.

Apertura colli.

Integumentis, & muſculis cruciatim diſciſſis examinentur larynx, trachea, lingua, os hyoides, pharinx, œſophagus.

In ſtrangulatis, aqua ſubmerſis, collo contuſis, aut vulneratis, & corpore heterogeneo ſuffocatis eſt colli apertura neceſſaria.

Apertura extremitatum.

Si ob vulnus, vel contuſionem extremitatis ſuperioris, vel inferioris ſectione legali opus eſt, tunc fiat inciſio partium mollium juxta longitudinem ad oſſa usque. Ut videri poſſit,

An *oſſa* fracta, vel luxata,

An *nervus* major, vel *arteria* major læſa ſit.

Cadaveris clausura.

Finito viſcerum examine reponantur hæc in ſua cava ſitu quantum fieri poteſt naturali. Dein

Acu curva nigro ligamine ſericeo munita, cujuslibet cavitatis integumenta communia ſutura pellionum bene conſuantur.

Totum cadaver aqua abluatur, & reponatur ad tumbam pro ſepultura.

Consignatio visi reperti.

Facta inquiſitione a medico, & chirurgis conſignatio *viſi reperti*, ſeu ſcripta renuntiatio inquiſiti cadaveris ad judicium criminale deponenda eſt. *

Conditiones rite conſignati viſi reperti ſunt, ut illud indicet,

1. *Judicem*, ad cujus mandatum, vel requiſitionem cadaveris inquiſitio peragitur. Dein

---

* *Die Kunſt chirurgiſche Berichte abzufaſſen. Budiſſin.* 1769.

2. Ponantur *teſtes judiciales*, in quorum præſentia inquiſitio fuit inſtituta, tandem notetur,
3. *Nomen*, *Cognomen*, & *locus natalis* hominis denati, quæ res, ut & ſequentes ab amicis, vel aliis hominibus, quibus mortuus innoteſcebat, interrogantur.
4. *Sexus*
5. *Ætas*
6. *Vitæ conditio*, ſeu *artificium*
7. *Habitus corporis*, nempe an macilentus, obeſus, aut mediocris fuit.
8. *Inſpectio corporis externa.*
9. ——— *capitis*
   ——— *colli*
   ——— *thoracis*
   ——— *ſpinæ dorſi*
   ——— *abdominis*
   ——— *extremitatum*
10. *læſio partis* exacte deſcripta
11. *adhibita medela*
12. *Claſſificatio* læſionis
13. *Epicriſis*, & *ratio* claſſificationis.
14. Demum ponatur *locus*, in quo inquiſitio facta, *menſis*, *dies*, *tempus* diei, *hora*, *annus*.
15. *Subſcriptio medici*, *chirurgorum*, & *impreſſio ſigillorum.*

Omnis vero renuntiatio *declarationem facti* exhibet, vel

certam, ſi quæſtio certo ex inquiſitione erui poteſt, vel

dubiam, ſi quæſtio nec plane affirmative, nec penitus negative, ex inquiſitione pateat, aut

adverſam, ſi quæſtio plane negative ex inquiſitione elucefcat, & innocentiam ſuppoſiti delinquentis continet.

Si foro judiciali facta renuntiatio medici, & chirurgorum forenſium non ſatisfacere, vel errore ſcatere videatur, tunc Acta, & renuntiatio ſecantium ad facultatem medico-chirurgicam devolvenda ſunt, ut hæc de re judicet. *

SIGNA HOMICIDII PER VULNUS.

Inflictio vulneris acuti, vel contuſi, quo homo moritur, eſt *homicidium* per vulnus illatum.

Cum vulnera *abſolute lethalia*, & cum *animo interficiendi* inflicta puniri ſoleant pœna capitali, vulnera vero *non abſolute* lethalia puniantur alia pœna, hinc ſedulo in cadavere inquirendum eſt, cujus claſſis inflictum vulnus fuerit.

Solent vulnera lethalia generatim in *tres claſſes* dividi,

1. in *abſolute lethalia*, in quibus nec ars, nec natura mortem evertere valet.
2. in *non abſolute lethalia*, in quibus ars non autem natura mortem evertere poteſt.

* *Über die Glaubwürdigkeit der Medicinalberichte in peinlichen Rechtshändeln. Berlin* 1780.

3. in *per accidens lethalia*, in quibus ex vitio chirurgi, vel vulnerati, vel adſtantium, vel rerum non naturalium mors ſequitur.

Vulnera *abſolute lethalia* in ſex dividuntur *claſſes*,

1. In vulnera, quæ *liquidi nervei* influxum in viſcera vitalia impediunt.
2. — ——— quæ *ſanguinis motum* ad cor, & ex corde impediunt.
3. — ——— quæ *reſpirationem* impediunt,
4. — ——— quæ *chylificationem* impediunt,
5. — ——— quæ *ſecretionem urinæ* impediunt,
6. — ——— quæ magnam humoris effuſionem, vel *non coercendam*, aut *non e corpore eliminandam* cauſant.

Ad 1. *claſſem*, ſeu quæ liquidi nervei influxum in viſcera vitalia impediunt, referuntur,

1. Vulnera profunda *cerebri*, aut *cerebelli.*
2. ——— *medullæ oblongatæ*,
3. ——— *medullæ ſpinalis* præſertim in collo,
4. ——— truncorum nerveorum *octavi paris.*
   ——— ——— *intercoſtalis paris.*
   ——— ——— *diaphragmaticorum.*

Ad II. *claſſem*, quæ *circulationem ſanguinis* e corde, aut ad cor impediunt, numerantur,

1. Vulnera penetrantia *cordis*,
2. ——— ——— *auricularum*, & *ſinuum* cordis.
3. ——— omnium majorum *arteriarum*, & *venarum* in capite, collo, thorace, ſpecu

vertebrali, & abdomine, ad quæ vaſa manus chirurgi pervenire nequit.

Ad III. *claſſem*, quæ reſpirationem impediunt, pertinent,

1. Abſciſſio integra *tracheæ*, vel *bronchiorum*,
2. Vulnera magna *pulmonum*,
3. ——— ——— *diaphragmatis.* *

Ad IV. *claſſem* numerantur, quæ *chylificationem* impediunt.

1. Vulnus magnum *æſophagi* in loco non acceſſibili,
2. ——— ——— *ventriculi* in loco abſcondito,
3. ——— ——— *inteſtinorum tenuium*, vel *craſſorum* in loco, in quo nec enteroraphia, nec anus artificialis fieri poteſt.
4. ——— *veſiculæ felleæ* cum *effuſione bilis* in abdominis cavum.
5. ——— *ductus pancreatici.*
6. ——— *vaſorum lacteorum.*
7. ——— *receptaculi chyli.*
8. ——— *ductus thoracici.*

Ad V. *claſſem* ſpectant, quæ *ſe-* & *excretionem urinæ* impediunt, ut

1. Vulnus magnum *renis*,
2. ——— *uretheris*,

* Plerique authores etiam vulnera in utrumve thoracis cavum penetrantia ad abſolute lethalia referunt, at *Cel.* HEMMAN *medicinisch - chirurgische Aufsäze. Berlin.* 1778. S. 106. obſervationibus demonſtravit, hæc vulnera etiamſi in utrumque thoracis cavum penetrent, & rima glottidis majora ſint, mortem tamen non adferre.

3. ——— *veſicæ cum extravaſatione* urinæ non amovenda.

Ad VI. *claſſem*, quæ magnam extravaſationem *non ſiſtendam*, aut non *eliminandam* cauſant, referri poſſunt,

1. Extravaſatio magna in *baſi cranii*,
——— —— — *ventriculis cerebri*,
——— — ſuper *corpore calloſo*,
——— — —— *tentorio cerebelli*,
——— —— in *ſpecu vertebrali*,
——— —— — *pericardio*,
——— —— — *ſpatio poſtico mediaſtini*,
——— —— — *cavo lumborum*,
——— —— — ——*pelveos*.

Vulnera *non abſolute lethalia*, ſeu in quibus ars non autem natura mortem impedire potuiſſet, dividuntur,

1. in vulnera *arteriarum*, vel *venarum* majorum, in quibus manu chirurgi ligatura, compreſſio, vel aliud ſtipticum remedium applicari potuiſſet.
2. in vulnera, quæ *extravaſationem* faciunt in locum, e quo trepano, paracentheſi, inciſione, aut dilatatione vulneris effuſus humor educi potuiſſet.
3. in vulnera *ſtomachi*, *inteſtinorumve*, in quibus ſutura, vel anus artificialis fieri potuiſſet.
4. in vulnera ob *corpus heterogeneum*, vel *fragmentum oſſeum* cerebro, vel alii viſceri impactum, & inflammatione, ſuppuratione, aut gangræna

græna necantia, e quibus corpus heterogeneum eximi, & inflammatio impediri potuiſſet.

5. in vulnera nervorum, quæ *convulſione*, aut *tetano* necant, qui medicamentis ſopiri potuiſſet.

Vulnera ergo non abſolute lethalia ex *abſentia*, vel *ignorantia*, vel *timiditate* chirurgi, operationem requiſitam non adhibentis *lethalia* evadunt.

Vulnera denique *per accidens* lethalia ſunt vulnera non lethalia, quæ vitio chirurgi, vulnerati, adſtantium, rerumve non naturalium lethalia fiunt.

Hinc *cauſæ* lethalitatis accidentalis eſſe poſſunt

1. *Incongrua medicamentorum applicatio.* Sic fomenta calida cerebro commoto applicata, ſæpe lethalem cerebri inflammationem accerſunt. * Sic vomitoria in læſione æſophagi, purgantia in læſione inteſtinorum data mortis cauſa eſſe poſſunt.
2. *Medicamentorum incongruorum neglectus*, ut ſi chirurgus in commotione cerebri fomenta frigida, negligit. Si puri, vel ſanguini effuſo exitum non parat, ſi feſtucas non eximit. Si inflammationi, febri vulnerariæ, tetano, convulſionibus, keneangiæ non medetur.
3. *Negligens vulneris tractatio*, ut ſi chirurgus ex *negligentia* nimis raro vulnus deligat, unde a puris abſorptione ſæpe phthiſis, febris hectica, mors.

---

* *Cel.* SCHMUKER *chir. Wahrnehm. Theil. I. p.* 144. & ſeqq.

4. *Inſtrumentum venenatum.* Sic leviſſimum vulnus fit lethale, ſi inſtrumento infligatur, quod viru viperino, rabioſo, arſenicali, vegetabili &c. eſt illinitum. Vide *Toxicologiam.*

Noſcitur levitate vulneris, & gravitate ſymptomatum, mortisque ſecutæ.

5. *Virus intrinſecum in corpore vulnerati præexiſtens.* Sic vulnus reddi poteſt ſanatu difficilllimum, periculoſum, imo lethale, ſi illud attrahat virus cancroſum, morbilloſum, ſcorbuticum, rhachiticum, venereum.

6. *Sabura*, ſeu copia *ſordium* in primis viis, vel ante vulnus inflictum præexiſtentium, vel durante curatione a cauſa epidemica, vel a vulnere natarum. Si harum enim evacuatio negligatur, tunc ſæpe perit ex his ſordibus æger, qui ex vulnere periiſſe videtur. *

---

* *Cel.* STOLL *Ratio medendi* P. I. p. 39. & P. II. p. 426. dicit „ complura exempla habeo febrium bilioſarum malignæ naturæ lapſum ab alto conſecutarum. „ Scio in ejusmodi caſu caput trepano fuiſſe perforatum, cum æger a lapſu graviter febriret cum mentis „ emotione. Nihil alieni repertum eſt in cranio, æger „ paucos poſt dies delirus obiit. Cranio reſerato nihil „ prorſus vitiati occurebat, aſt magna viſcerum abdominalium ruina, hepatis ſuffuſio bilioſa, inteſtinorum „ livor, atque necroſis. Adeo ſubinde difficiiis, atque „ ambigua diagnoſis eſt, an in lapſu ab alto encephalon idiopathice, & quonam vitio laboret, an vero

7. *Animi adſectus gravis.* Ex ira, vel præ metu homines, quandoque cum levi vulnere mortui fuere. *

8. *Clima.* In America, vix vulnera, quæ non convulſio, vel tetanus exciperet, infliguntur, ſi non illico in hoc calido climate cortex peruvianus detur. **

9. *Aer putridus vulneratum ambiens.* Sic vulnerati in putrida noſocomicorum atmoſphæra frequenter febre putrida infecti moriuntur. ***

10. *Epidemia regnans.* Hæc enim facillime aggreditur vulneratos.

11. *Commiſſus error a vulnerato.* Sic in pulmonum vulneribus *loqui*, in capitis

---

„ commotum ſyſtema gaſtricum, biliferumque mentem „ ob quemdam utriusque conſenſum turbet.

* Perſarum Rex ludens cum concubina, quam maxime deperibat, pugionis aciem verſus ejus præcordia dirigit, dumque illa nudum pectus ſimulatis ictibus exponit, ſtomacho læditur, ſed exiguo ſane, & oculis vix conſpiciendo vulnuſculo. Tamen repente prolapſa dicto citius exſpiravit. *Cel.* KAEMFER *amœnit. exoticar. p.* 59.

** *Cel.* BISSET. *med. Eſſays.* p. 97. & p. 101.

*** *Cel.* NAHUYS *diſſ. de qualitate noxia aeris in noſocomiis, & carceribus. Harlemi.* 1770. p. 85. Exempla proſtant apud BOHNIUM l. cap. 103. ſq. MORGAGNI Ep. LI. a 12. 13. *Hiſto. de l'acad. R. des ſc. de Paris.* 1748. *p.* 566.

vulneribus *venerem* exercere, aut mentem *cogitationibus* valde *agitare*, quandoque mortem attulit. Sic *diæta* parva, vel quantitate peccans in levibus viſcerum læſionibus, quandoque excitata inflammatione mortis cauſa fuit. Sic *impedita quies* in capitis vulneribus quandoque adeo noxia fuit, ut mortem attulerit. Sic vulneratus delirans apparatum deligationis a vulnere dejiciens hæmorrhagiæ lethali ſæpe anſam dat.

12. *Conſtitutio morboſa vulnerati.* Si ſanguis vulnerati valde *tenuis*, tunc a levi etiam vulnere hæmorrhagia lethalis oriri poteſt. Si *oſſa* cranii valde fragilia, tunc a levi capitis percuſſione cranii fractura fieri ſolet.

13. *Imbecillitas vulnerati.* Sic infantes, ſenes, phtyſici, & ex aliis cauſis imbecilles facilius vulneribus etiam levioribus ſuccumbunt.

14. *Cauſa interna ſubitæ mortis in vulnerato præſens.* Siquidem ſæpenumero homines ſubito moriuntur ex apoplexia, vomica vel aneuriſmate interno, vel viſcere rupto. * Hinc hæc mors etiam leviter vulneratis contingere poteſt.

* Confer LANCISII *L. II. de mortibus ſubitaneis. Luccæ.* 1707. *Cel.* BOSE *de corp. hum. læſionibus externis caute dijud. Lipſ.* 1772. *§.* IX. *Cel.* HAMBERGERI *prog. de ruptura duodeni. Jenæ* 1756. *Cel.* VOGELS *neue med. Bibl.* T. 1. p. 487.

Demum omnia hæc vitia, quæ vulnera non lethalia reddunt per accidens lethalia ſectio cadaveris, & indagatio prægreſſæ ſanitatis docebunt.

Tempus autem, ex quo mors ex vulnere ſecuta eſt, in definienda lethalitate vulneris attendi nequit. * Quoniam mors quandoque vulnera non lethalia inter paucos dies ſequitur, & quandoque vulnera abſolute lethalia, intra novem menſes, & ultra vulneratum non necant. ** Hinc mors vulnerati ante, vel poſt nonum diem nihil docet.

SIGNA HOMICIDII PER CONTUSIONEM.

Homicidium per contuſionem eſt inflictio contuſionis, qua homo moritur.

Contuſio *quadruplici* modo mortem inferre poteſt.

1. Ingenti *commotione* encephali.
2. Facta *ruptura* viſceris, vel *vaſis majoris*. Pulmo, lien, hepar, uterus gravidus a contuſione facile rumpuntur.
3. Facta *effuſione* ſanguinis, vel ſeri, vel alius humoris in locum, e quo arte educi nequit.
5. Excitata *inflammatione* partis contuſæ, quam ſuppuratio, aut gangræna ſequitur.

---

* *Cel.* KLEIND *de diebus criticis. Jenæ* 1687. Cap. II.

** *Ill.* VAN SVIETEN *Comment.* T. I. ʃ. 254. p. 414. & *Cel.* MORGAGNI *Epiſt.* LII. 37. 38. obſervationes proferunt, quæ docent a contuſione cranii poſt ſex annos primum mortem fuiſſe inductam.

Signa lethaliter *commoti encephali* ſunt, ſi mors contuſionem illico excipiat, & ſi in cadavere, nec læſio alicujus viſceris, nec effuſio magna inveniatur.

Signa rupti, aut *ſuppurati*, vel *gangrænoſi* viſceris, aut *effuſi* humoris viſui in cadavere patent. At bene diſtinguatur, oportet

1. An *Sugillatio*, vel *livor* morbi interni, plethoræ commotæ *, ſcorbuti, vel alius morbi, vel denique mortis ſit effectus, ut livor dorſi emortualis.

---

* Confer *Cel.* Jæger *diſquiſitio medico-forenſis, qua caſus ad vitam fœtus neogoni dijudicandam facientes proponuntur. Ulmæ* 1780. Ecchymoſes ſubcutaneas ſine violentia externa a ſola cauſa interna oriri poſſe docuit atrociſſima de matricidio accuſati, & truculenta morte plexi Montballyi hiſtoria, quæ in opprobrium judicii criminalis gallici Arraſenſis proſtat in *berühmte Rechtshändel bey verſchidenen Parlamentern in Frankreich. Berlin* 1777 1*ſter Rechtsfall* 1. *Th.* Summa hujus hiſtoriæ huc redit, quod inſontis Montballyi mater potuum ſpirituoſorum amans, pectore, brachiis, gutture, maxime capite, & facie ſugillatis, & ſanguine ex naribus, & vulnere in palpebra ſuperiore profuſo, domi ſuper ciſtam, cujus anguli acuti erant, mortua inventa fuerit, cujus mortis cauſſam, cum judices nullam aliam, niſi a violentis manibus illatam, intelligerent, filium, cui ſoli ad maternum conclave aditus patebat, in crimen matricidii accerſerunt, idque capitali pœna crudeliſſime vindicarunt, licet poſtea, ſed nimis ſero a celeberrimo chi-

2. An non *extravaſatio ſeroſa* in capite, thorace vel abdomine jam ante vulnus inflictum præexſtiterit? Quod examen prægreſſorum morborum docet. Quandoque talis extravaſatio mortis effectus eſt.

3. An *ruptura* viſceris non ſpontanea fuerit, aut ob latentem viſceris labem a leviſſima contuſione

---

rurgiæ Profeſſore Pariſino LUIS matris mors a cauſſa interna recte repetita aliisque exemplis illuſtrata fuerit. Nemo enim inficiabitur, poſſe in ano ſana, ſpirituoſis potibus dedita, plethoram commotam fieri, congeſtionem ſanguinis verſus caput urgeri, vaſa extendi, rumpique, atque ſic ſubita lethali apoplexia ſugillationes in ſuperioribus partibus, profuſionesque ſanguinis ex naribus, & vulnere per alliſionem ad ciſtam orta ſine alterius malitia produci, uti analogum caſum de anno 1720. in milite ſano ſubito mortuo, & ſanguinis ſuffuſionibus, undique livente *Acta medica Berolinenſia* annotarunt; ut itaque vel hoc exemplum doceat, quam caute ex ſugillationibus argumentari debeamus, quæ vel in apparenter ſanis ſubito ſine violentia externa ſine diuturniori morbo prægreſſo contingere poſſunt. Frequentiores ſunt a cauſſa morboſa maculæ lividæ, vel cum, vel ſine ecchymoſi in ægrotis, morbo cum diſſolutione humorum conjuncta decumbentibus, quales quivis facile admittit, ſi de petechialibus, peſtilentialibus, ſcorbuticis, a veneno ſumpto ortis ſtigmatibus, vibicibus, ſugillationibus, vel & famoſis mortuorum hæmorrhagiis cogitat. Conf. ALBERTI *diſſ. de hæmorrhagiis mortuorum, & jure cruentationis Tom.* IIItio *Jurisprudentiæ medicæ* affixam.

contigerit ? Quod examinata conditio viſceris rupti docet.

4. An viſceris *inflammatio* ejusque ſequelæ nempe ſuppuratio, aut gangræna non potius vulnerati animo nimis emoto, aut humorum acrimoniæ, aut vitio diætæ, aut morbo epidemico bilioſo, putrido, inflammatorio ſupervenienti, aut aliæ cauſæ adſcribenda ſit, quam contuſioni.

5. An *legitima* adhibita *medela.* Sæpe enim effuſiones humorum, & inflammatio vaſorum, a contuſione debilitatorum, venæſectionibus, & applicata fomentatione *frigida* impeditur, aut præſens diſcutitur, quæ fomentis *calidis* potius acceſſitur, aut jam præſens augetur. Conf. *vulnera per accidens lethalia.*

Ex his ergo ſponte patet contuſionem in medicina legali etiam in *abſolute* lethalem, *non* abſolute lethalem, & per *accidens* lethalem dividi debere, ut de vulneribus dixi.

SIGNA HOMICIDII PER SUSPENSIONEM.

Si homo inveniatur *ſuſpenſus*, tunc inquirendum eſt,

1. An talis *vivus*, vel alia morte jam ante *mortuus* fuerit ſuſpenſus?

2. An *ſe ipſum* ſuſpenderit ? an *ab alio* ſuſpenſus fuerit.

SIGNA, quæ docent, quemdam laqueo periiſſe, dividuntur in *generalia*, & *ſpecialia.*

Signa *generalia* ſuffocationis ſunt *

1. *Lingua* tumida, livida, intra dentes depreſſa, a dentibus quandoque vulnerata.
2. *Spuma ſanguinolenta* in ore, & in faucibus, quandoque mucus ſanguinolentus, & ſpumoſus ex naribus effluens.
3. *Oculi* tumidi, & ſemiclauſi.
4. *Facies*, *collum*, *labia* tumida, livida vel fuſca.
5. In viris *ſcrotum* ſugillatum, & penis tenſus.
6. *Corpus* rigidum, extremitates, & digiti contracti, quandoque liventes.
7. *Seminis*, *urinæ*, *alvi excreti* ſigna quandoque adſunt.
8. *Pulmones* aëre diſtenti, & vaſa aërea ſanguine ſpumoſo repleta. **
9. *Rupturæ* vaſorum capitis interdum.
10. *Inteſtina* tenuia quandoque valde rubentia. ***

Signa *ſpecialia* ſuſpenſionis ſunt,

1. *Circulus* collum exterius cingens, laquei craſſitiei reſpondens, reliqua cute magis depreſſus.

---

* *Cel.* MORGAGNI *Epiſt.* XIX. 37. 38. laqueo ſuffocatos perire ex conſtrictis arteriis, venis, nervis colli, atque arteria aſpera ſimul ſumptis docet. Cui quoque aſſentit *Cel.* DE HAEN *rad. med.* T. XV. Cap. II. 5. II. *Cont.* T. I. P. II. quii pleroſque obire peripneumonicos, paucos apoplecticos dicit.

** DE HAEN *rat. med.* T. XV. p. 65.

*** *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſ.* T. III. p. 270.

Hic circulus nonnunquam, at *non ſemper* ecchymoſi ſubcutanea ſtipatus invenitur. *

2. *Muſculi* huic circulo ſubſtrati præſertim platyſmamoydei plus minus ſugillati, vitiative deprehenduntur. **

SIGNA, quæ docent hominem jam alia morte naturali, vel violenta *mortuum* demum fuiſſe ſuſpenſum, ſunt,

Abſentia ſugillationis ſubcutaneæ in colli muſculis. Funis enim in cadavere violenter adſtrictus ſulcum quidem imprimit, at nullam ſub cute ſugillationem efficere valet.

Si quis *clanculum* laqueo ſuffocatus dicitur ex morbo naturali periiſſe, tum ex circulo colli veritatem eruere poſſumus. ***

An quis *ſe ipſum* ſuſpenderit, aut *ab alio* ſuſpenſus fuerit, ex circumſtantiis ſimul præſentibus quandoque, at non ſemper determinari poteſt, vid. *Autochiriæ* ſigna.

---

* *Cel.* MAUCHARTUS in *diſſ. de luxatione nuchæ* §. 16. bene monuit non ſemper ecchymoſim externam in collo ſuſpenſorum obſervari; vidit enim in juvene robuſto, manu carnificis enecto, funem præter ſulcum nullam aliam cuti labem impreſſiſſe, licet ſub cute, & membrana pinguedinoſa non modo ſimilis ſulcus, ſed muſculi ſubſtrati etiam admodum læſi eſſent.

** *Cel.* ROEDERER *opuſc.* P. II. p. 295.

*** MORGAGNI *Ep.* 21. 9. XXV. 2. XXVI. 13.

SIGNA HOMICIDII PER SUBMERSIONEM IN AQUAM.

Si homo aqua ſubmerſus, vel in littore fluvii inveniatur mortuus, tunc inquirendum eſt,

1. An talis *vivus*, vel *mortuus* fuerit ſubmerſus?
2. An morte *naturali*, vel *violenta* mortuus fuerit undis traditus?

Signa aqua ſubmerſorum vivorum ſunt,

1. *Suffocationis* ſigna generalia,
2. In *ventriculo* plus minus aquæ, aut fluidi quod corpus circumdedit.
3. Fluidum *ſpumoſum* in pulmonibus, & aſpera arteria.
4. *Epiglottis* erecta eſt plerumque, ſed & interdum depreſſa.
5. Cadaver maxime æſtate diutius ſub aqua degens putreſcendo tumet, hinc levius factum aquæ innatat.
6. Leviora vulnera, & digitorum excoriationes quandoque adſunt.

Non dantur ſigna *ſpecialia* aqua ſuffocati. Itaque ſi cadaver in aqua repertum mox dicta ſigna generalia exhibet, atque alius mortis violentæ ſigna deficiunt, tunc cenſetur undis mortem fuiſſe illatam.

Signa vulneribus quempiam *mortuum* fuiſſe undis traditum, ſunt,

1. Ex præſentia *vulneris* ejusmodi, quod in aqua ſuſcipere non poterat, ut ſi vulnus ſciſſum, vel ſclopetarium adeſſet. *

2. Ex *abſentibus* ſignis generalibus ſuffocationis. **

SIGNA quempiam *laqueo ſuffocatum* in aquam projectum eſſe conjicimus,

1. Ex ſignis *ſpecialibus* ſuſpenſionis, nempe ſulco & ſugillatione ſubcutanea in collo. At ſimul notandum eſt, an non *collare* intumeſcenti ſub ſuffocatione collo impreſſerit ſub undis veſtigium hocce. Hinc an collum nudum, vel tectum in aquis fuerit interdum attendendum eſt. ***

---

* Si quis puteo ſubmerſus valde profundo, & lapidibus ſtructo vulnus cranii contuſum, & cum extravaſatione ſanguinis ſub cranio habet; tunc difficile eſt diſcernere, an ſub lapſu in puteum, an ante hunc hoc vulnus acceperit.

** Fluidum *ſpumoſum* deprehenditur in omnibus ſuffocatis, & etiam in iis, qui mortui aqua ſubmerguntur teſte DE HAEN T. XV. C. 2. G. II. deficit quoque non raro hoc fluidum ſpumoſum in pulmonibus, qui vivi ſubmergebantur, etiam teſte DE HAEN T. XV. p. 42. &c. & LENTIN obſ. p. 120. Ergo exinde certi non ſumus utrum vivi, an mortui fuerit quis aquæ immerſus, ut Cl. chirurgi Lugdunenſes FAISSOLE, & CHAMPEAUX voluerunt. Vide Eorundem *Erfahrungen, und Wahrnehmungen über die Urſache des Todes der Ertrunkenen Dantzig* 1772 & Cel. DE HAEN *Abhandl. über die Art des Todtes der Ertrunkenen, Erhenkten, und Erſtikten. Wien* 1772.

*** *Cl.* BOSE *in diſſ. de C. H. læſionibus externis caute dijudicandis Lips.* 1777. obſervationem proponit ſub-

SIGNA HOMICIDII PER SUFFOCATIONEM.

Poteſt homo quintuplici modo *ſuffocari*,

1. *Compreſſione tracheæ*, & *colli*. Si collum manu, digitis, aut fune ad mortem usque comprimitur.
2. *Occluſione narium*, & *oris*. Si os, & nares linteo, veſtimentis, ſtragulis, arena, manu, vel alio corpore occludantur.
3. *Obturatione faucium*. Si linteum, vel aliud corpus faucibus intrudatur.
4. *Onere* graviſſimo *thoraci impoſito*, utpote lapide magno, trabe, &c.
5. *Vapore ſuffocante*, vel ori immiſſo, vel clauſo cubiculo clanculum in cubiculum impoſitis carbonibus ignitis.

Generalia ſuffocationis ſigna ſunt,

1. *Ecchymoſes* externæ.
2. *Collum* livens.
3. *Spuma* ante os, in ore, aſpera arteria, ac pulmonibus.
4. *Thorax ſublimis*, ſcapula cum humeris ſurſum ductæ, diaphragma inclinatum.
5. *Pulmones lividi* cinerei interdum tumidi, interdum contracti.

---

merſi, cujus collum ſuſpicionem ſuffocationis ex laqueo ciebat.

6. *Vaſa majora thoracis* maxime venæ ſanguine turgida, hinc cordis cava, in primis dextrum, ſanguine plena, plerumque concreto, ſed interdum etiam fluido. Turgida quoque vaſa coronaria cordis.

7. Tum ſanguine diſtenta ſunt colli, capitis, meningum, cerebrique vaſa, & ſinus. Cerebri *ventriculi* ſero ſanguinolento, ſanguineve repleti, cerebri ſubſtantia mollior.

8. *Inteſtina* tenuia vaſis rubris picta.

9. *Veſica urinaria* vacua, & contracta; inteſtinum rectum fæcibus refertum.

Specialia ſuffocationum ſigna, quæ adhibitæ violentiæ modum demonſtrant, ſunt,

1. *Suffocatio a compressione colli, & tracheæ*, manu peracta noſcitur,

1. ex ſugillationibus ponderi, vel manui, vel digito, vel funi reſpondentibus,

2. ex invento corpore applicato.

3. Ex ſignis ſuffocationis generalibus.

2. *Suffocatio ab occlusione oris & narium* eruitur

1. Si deprehenduntur corpora peregrina in cavo oris.

2. Ab *ecchymoſi* circa os, nareſque, manui, digitis, aliique corpori reſpondente. At obturatio oris cum impoſitis *ſtragulis*, aut veſtibus vix noſcitur, niſi cadaver talibus coopertum inve-

niatur, demum *ſpumoſus mucus* præſertim *ſub-cruentus* in ſtragulis repertus hujus ſuffocationis ſuſpicionem movet.

3. Si nulla interna cauſa ſuffocationis in cadavere inveniatur.

3. *Suffocatio ab obturatione faucium.* Noſcitur, ſi corpus peregrinum in cavo faucium inveniatur. Si cavum faucium rubeat. Si cartilagines laryngis diſtortæ inveniantur.

4. *Suffocatio ab onere thoraci imposito* judicatur ab ecchymoſi, & compreſſione thoracis. Ab invento corpore thoraci impoſito.

5. *Suffocatio a vapore suffocante* eruitur ex inventis carbonibus in cubiculo ſuffocati, ex atmoſphæra ſuffocante cubiculi, & aliis ſignis ſuffocationis abſentibus.

In omnibus his quinque ſuffocationibus bene examinandum eſt, an non cauſæ morboſam, & naturalem ſuffocationem inducentes in cadavere inveniantur, ut hydrothorax, peripneumonia, vomica, empyema, oedema pulmonum &c.

SIGNA HOMICIDII PER INEPTAM CURATIONEM.

Huc pertinent accuſationes de curationibus ab *empyricis* ſuſceptæ, quas mors ſequitur.

Similia vero homicidia quandoque fiunt

1. Si *medicus* in doſi nimia medicaminis heroici, ut

emetici, draſtici, narcotici, mercurialis &c. medicamenti errorem commiſerit.

2. Si *chirurgus*, aneuriſma loco abſceſſus, herniam veram loco bubonis &c. aperuit.
3. Si *obſtetrix*, quod uterum ruperit, aut cum placenta protraxerit, aut ſi *obſtetricator*, quod unco vivum protraxerit fœtum, accuſatur.

Hæc homicidia facultati medico-chirurgicæ decidenda relinquuntur, at

Hæc homicidia plerumque terra obteguntur, cum non ex animo occidendi, ſed ex ignorantia commitantur, interim tamen & ignorantiæ pœna ſtatuenda eſt proportionata.

SIGNA HOMICIDII PER TOXICATIONEM.

Venenum eſt ens, quod exigua mole corpori noſtro vel ingeſtum, vel externe applicatum, morbum gravem, aut mortem cauſat. *

Venenum corpori humano ingeritur,

1. ab hominibus *nefariis* pro necando hominem illis exoſum, vel periculoſum.
2. ad ſe interficiendum ab *autochiris* deglutitur.
3. ab hominibus *incuriis* per errorem loco medicamenti, vel cibi quandoque aſſumitur.
4. ab *imperitis medentibus* quandoque ex ignorantia præſcribitur.

* Cel. GMELIN *allgemeine Geſchichte der Gifte.* III. *Theile. Nüremberg.* 1776. & 1777.

5. a

5. a *pharmacopoeis* quandoque ex errore loco medicaminis diſpenſatur.

Reſpectu *regni*, e quo venenum depromitur, dividuntur venena,

1. in *vegetabilia*, quæ rariſſime
2. in *animalia*, quæ fere nunquam
3. in *mineralia*, quæ omnium frequentiſſime ad necandum adhibentur.
4. — *incognita*, quorum indolem ignoramus, ut *Aqua Toffania* eſt.

Reſpectu *ſymptomatum*, quæ venena producunt, habentur venena inflammatoria, necrotica, convulſiva, draſtica, ſuffocativa, exſiccantia, ſoporifera, putrefactoria, anæſtetica, tabefacientia, phantaſtica.

Reſpectu *temporis*, quo venena necant, dividi poſſunt in

venena *velocia*, quæ mortem cito inferunt, & in

—— *lenta*, quæ lentam inducunt mortem, ut ſaturnina.

Reſpectu *antidoti* habentur venena, quorum antidota nobis ſunt *comperta*, & alia, quorum antidota ignoramus.

Omne denique venenum ſolummodo reſpectu *certæ doſis* mortem infert, ipſum enim arſenicum, & ſublimatus corroſivus in valde exigua doſi medicatas inducit vires.

C

Ex his ergo patet venena in foro criminali, ut vulnera dividi poſſe,

1. in *venena abſolute lethalia*, quæ tanta doſi ingeruntur, ut mortem faciant, licet cognita antidota fuerint adhibita, vel ſi talia ingerantur venena, quorum antidota ignoramus.

2. in venena *non abſolute lethalia*, quæ exigua adeo doſi ingeruntur, ut adhibita medela mortem impedire potuiſſet.

3. in *per accidens lethalia venena*, ſi ex idio ſincraſia ægroti exigua doſis veneni mortem cauſet, aut ſi ex vitio ægroti, aut ignorantia medentis mors datum venenum excipit.

Solent venena *ingeri* titulo cibi, potus, medicamenti, enematis. *Externa* veneni *applicatio* fit forma emplaſtri, unguenti, vaporis, odoris, fumi, veſtimenti, lecti, fomenti &c.

---

* Sic liquor arſenicalis capitibus infantum duorum tinea laborantium, in exigua quantitate inunctus aliquot horarum ſpatio mortem accerſebat a *Cel.* ZITTMANNO *Cent.* II. Cas. 24. Arſenicum unguento contra ſcabiem, lethali cum eventu admiſtum ex AMATO LUSITANO adducit *Cel.* STENZEL in *diſſ. de venenis acutis. Witt.* 1732. p. 27. Arſenico, butyro admixto, contra tineam, capita infantum duorum illita, cum eventu, tertio die alteri, alteri mox deinde lethali, refert. *Cel.* BÜTTNER in *Unterricht für Aerzte* &c. *obſ.* 55.

Signa generalia veneni velocis interne exhibiti depromuntur,

1. Ex *ſubitanea invaſione ſymptomatum*, ut ſi homo *ſanus* ex ingeſto quodam cibo, vel potu, vel medicamento paullo poſt corripiatur vertigine, cardialgia, colica, vomitu, cholera, ſpamis, convulſionibus, debilitate, animi deliquiis aut ſopore &c.

Si labia, lingua, fauces, ventriculus, & abdomen cum ſenſu ardoris intumeſcant.

2. Ex *ſaburra egeſta*, ut ſi ſaburra vomitu, vel alvo ejecta maſticatam herbam, vel radicem, vel fungum, vel pulverem, ſalem, ſuccum, vel pilulam &c. referat, & ſi hæc ſaburra cani, felli, vel gallinæ ad devorandum data animal interimat, aut ſaltem graviſſime afficiat.

3. Ex *cadaveris inſpectione*. Si in tali cadavere ventriculus inflatus, vel ſpaſmodice contractus, aut inflammatus, vel gangrænoſus, vel ſaltem maculatus inveniatur.

4. Ex *ſaburra in ventriculo*, aut *inteſtinis contenta*, quæ animali ingurgitata, illud cum ſymtomatibus diris interficit.

5. Ex *notitia botanica*. Si in ſaburra vomitu, vel alvo egeſta, vel in cadaveris ventriculo inventa, adhuc appareat ſemen, radix, foliolum, fungus, vel pulvis vegetabilis, vel ſi tale vegetabile in domo denati inveniatur, quod ex notitia botanico-pharmaceutica ſcimus eſſe venenatum.

6. Ex *notitia chemica*, ſi ex inſtituta analyſi inventi in ſaburra veneni indolem inveniamus.

Ex his 6 ſignis ſubitanea ſymptomatum invaſio, cadaveris inſpectio, & mors animalis ex ingurgitata ſaburra cadaveris ſunt *incerta*. Nam ex naturali morbo ſymptomata, & gangræna ventriculi ortum habere poſſunt. Et notum eſt ſolam ſaburram morboſam ventriculi venenum eſſe poſſe animali. Denique

Multis animalibus quædam corpora ſunt venena, quæ homini non ſunt, ac quædam corpora eſſe homini venena, quæ animalibus ſunt ſalubria.

Unicum *ſignum certum* dati veneni eſt *notitia botanica* inventi veneni *vegetabilis*, & *analyſis chemica* inventi veneni mineralis.

Cum perſæpe hæc duo ſigna certa, ob paucitatem inventæ materiæ ſuſpectæ, aut vegetabilis nimium maſticati, aut in ventriculo mutati adhiberi nequeant, hinc patet, cur ſæpe *judicium* de dato veneno manet *incertum*.

Signa specialia, cujuslibet peculiaris veneni ſignum adhucdum deſideratur. Quorumdam vero ſigna habemus, vide de his *Toxicologiam.**

Consuetissima ad necandum adhibita venena fuere hucusque *Arſenicum*, *Plumbum*, *Mercurius ſublimatus corroſivus*, *Cuprum*, *Aqua Toffania*, *Pulvis ſucceſſionis*, & *Opium*.

---

* Nempe *Cel.* Gmelin librum eximium de venenis.

1. *Criteria arsenici.* *Arſenici albi* criteria ſunt, quod

   1. *Saccharo pulveriſato* haud ſit abſimile, at multo *gravius.*

   2. *Aliaceus odor*, quem carbonibus ardentibus injectum cum *fumo albo* ſpirat.

   3. Si *lamina cuprea* ab hoc albo fumo maculas nigras, vel albas contrahat.

   4. A ſolutione hepatis ſulphuris aquæ arſenicali inſtillata *flavum* decidit *præcipitatum*, quod auripigmenti, ſeu arſenici ſulphurati eſt ſpecies.*

Criteria plumbi. Vinum lithargyro mangoniſatum noſcitur,

   1. ex *ſapore dulci*, vel *dulceſcenti*,

   2. — cardialgia, colica pictonum, aut alio *morbo* poſt vini uſum ſuperveniente.

   3. — *præcipitato nigro*, ſi vino liquoris probatorii, vel hepatis, vel tincturæ ſulphuris volatilis ** exigua portio inſtilletur.

---

* *Cel.* BERGMAN *opuſcula chemica.* Vol. I. p. 131.

** *Liquor probatorius*, qui ex auripigmento, & calce viva paratur, ſolus non ſufficit, ut detegamus, an vinum plumbo adulteratum ſit; cum ſtannum, cuprum, mercurium, & aurum ſimili modo, & colore ex acido vegetabili præcipitentur, ſi hæc metalla huic mixta ſint. *Cel.* WOLLIN *Verfälſchung des Weins mit Bleyglätte.* p. 70. at cum hæc metalla, vinum acidum non dulcificent, hinc ex vini ſapore ſimul differentia quædam pate-

4. Ex *particulis metallicis* griſeis, & ſplendentibus, quæ in fundo vaſis, quo vinum continebatur, oculo nudo, vel armato, quandoque conſpiciuntur.

5. — *regulo plumbi*, qui ex reſiduo poſt 8 librarum evaporatarum per ignem fuſo remanet. Hoc ex omnibus ſignis *infallibile* ſolum eſt.

3. *CRITERIA SUBLIMATI CORROSIVI.* Ob deteſtabilem ſaporem raro clanculum ad toxicationem adhiberi ſolet. *Noſcitur* vero ex pulvere albo, gravi, ex horrendo ſapore metallico, cauſtico. Solutio ejus a ſpiritu ſalis ammoniaci lacteſcit, ab aqua calcis, & oleo tartari per deliquium adfuſo præcipitatum aurantii coloris delabitur. Carbonibus ardentibus adſperſus fumum album, at odore aliaceo deſtitutum largitur.

4. *CRITERIA CUPRI.* Cibi in vaſis cupreis diu retenti ſenſim vim venenatam exercent. *Noſcuntur* cibi cupro venenati ex colore cæruleo, ſi ſpiritus ſalis ammoniaci his adfundatur. **

5. *CRITERIA AQUÆ TOFFANIÆ.* Vera atrociſſimi veneni compoſitio adhuc latet. ***

---

ret. Vide etiam *Ill.* DELII *Reviſion der Weinprobe auf Bley. Erlangen.* 1779.

* *Cel.* GMELIN *allgemeine Geſchichte der mineraliſchen Gifte. Nürnberg.* 1777. p. 47.

** *Cel*, GMELIN l. c. p. 67.

*** *Cel.* GMELIN. l. c. p. 131.

Idem de famoſo *pulvere ſucceſſionis* ſciendum eſt, ac criteria horum venenorum nos pariter fugiunt.

6. *Criteria opii*, ſi hoc nimia doſi ingeritur, *ſopore apoplectico*, quo necat, noſcitur.

SIGNA AUTOCHIRIÆ.

Manus *violentas* inferre ſibi ſolent

1. Homines *delirantes*, ut maniaci, phrenitici, febricitantes,
2. ——— *melancholici*, ut atrabilarii, hypochondriaci, hyſtericæ, nymphomaniacæ.
3. ——— *deſperantes* ob crimen commiſſum, vel ad evitandum ſupplicium, aut qui de meliori fato recuperando ſpem abjiciunt.
4. ——— *incurii* quandoque *caſu fortuito* ſe præter voluntatem occidunt.

Demum autochiriæ *ſuſpicionem* movent,

1. qui mortui reperiuntur,
2. — ſubito cum magis abdominis *doloribus* moriuntur. Hi veneno cenſentur mortui.
3. — *vulnerati*, *ſuſpenſi*, *aqua ſubmerſi* inveniuntur.

Dividitur autochiriæ reſpectu *notitiæ* mortis,

1. in *notam*, ſi teſtes, aut tales circumſtantiæ adſunt, quæ docent hominem ſibi ipſi mortem intuliſſe,

2. — in *ignotam*, ſi dubium eſt, an homini a ſe ipſo, vel ab alio manus violentæ fuerunt adhibitæ.

Autochiria *nota* dividitur,

1. in *malitioſam*, ſi quis ſanæ mentis ex ſola malitia violentas ſibi inferat manus. Rariſſimus caſus eſt hominem ſanæ mentis eo devenire, ut ſe ipſum occidat.
2. in *deliroſam*, ſi quis ex animi morbo ſe occidat. *Signa*, quæ docent ex hac cauſa autochiriam fuiſſe factam, ſunt,
   1. Si denatus ante mortem *delirii* ſpecimina dedit, ut quandoque in hypochondriacis, hyſtericis, atrabilariis, nymphomaniacis, ſatyriacis, & hominibus valde ingenioſis * obſervatur.
   2. Si demortuus vitæ tedio, gravi ira, mœrore, aut deſperatione, aut vehementi dolore, aut ebrietate fuit afflictus.
   3. Demum horum morborum *ſigna* in cadavere quandoque inveniuntur, ut cerebrum duriuſculum, hepatis, veſiculæ felleæ, * lienis, aut alius viſceris hypochondriaci vitium. Sanguis admodum ſpiſſus, habitus atrabiliarius, menſtruorum defectus &c.

---

* *Nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ*, dicit SENECA de *Tranq. Anim.* c. 15.

** *Cel.* MARKARD *mediciniſche Verſuche. Zweyter Theil.* p. 220. *Geſchichte der Leichenöfnung eines Selbſtmörders.*

3. in *fortuitam*, quæ ſpecies ex conſideratis circumſtantiis dijudicatur.

Solent autem autochiri quintuplici potiſſimum modo vita ſe privare. Vulnere — ſuſpenſione — ſubmerſione — toxicatione — præcipitatione. Harum mortium ſigna ex prægreſſis capitulis cognoſcuntur.

Difficillimum autem eſt in *autochiria dubia*, ſeu *non nota* dicere, an homo ſibi ipſi, an alius demortuo mortem cauſaverit. Spolliatio occiſi, atque politicæ circumſtantiæ aliquam in hac re faciunt lucem.

1. *Autochiria vulneraria* poſſibilis eſt, ſi vulnus lethale ſclopeto, vel inſtrumento pungente inflictum invenitur. At vulnus contuſum in capite, ſi non a lapſu factum, aut vulnera cæſim capiti, dorſo, vel extremitatibus inflicta dubium autochiriæ movent. Frequentiſſimum vulnus autochirorum eſt abciſſio gutturis.

In vulnere ſclopetario a grandine ferrea in diſtantiam vulnerum inquirendum eſt; quæ ſi major, aut in ea parte corporis, ut denatus non videatur ipſe ſclopetum exploſiſſe, eruitur alius vulneris auctor eſſe, hinc in hoc caſu inquiſitioni locus ſit. *

2. *Autochiria suspensoria.* Si vivi, vel mortui ſuſpenſi ſigna adſint, & ſimul luxatio, vel fractura nuchæ deprehendatur, vel ſi vulnus lethale, ſimul in ſuſpenſo adeſt; aut ſi

* *Cel.* Daniel. l. c. p. 157.

ſuſpenſus manibus, aut pedibus ligatus, invenitur, tunc ſuſpenſio ab alio facta cenſetur. An laquei nodus factus eſſe videatur a denato, an ſecus.

An quis *vivus*, vel *mortuus* fuerit ſuſpenſus in *capite de ſuſpenſis* dixi.

3. *Autochiria submersoria.* An quis ipſe in aquam ſe projecerit, an in eam ab alio projectus fuerit, dici non poteſt.

Si aqua ſubmerſus ſimul vulnus acuto inſtrumento inflictum habeat, magna eſt ſuſpicio, quod ab alio vulneratus dein vel mortuus, vel vivus adhuc fuerit aqua ſubmerſus.

Aliter autem res ſe habet cum vulnere contuſo levi vel gravi. Nam in aquam ſe præcipitantes a palis, vel lapidibus in aqua latitantibus, demum ab uncis, quibus cadavera ſubmerſorum extrahunt, ſæpe graviter, vel leviter ſimul ſauciantur. Vid. *caput de ſubmerſis.*

4. *Autochiria toxicatoria.* An quis ipſe venenum aſſumpſerit, aut an id ab alio ipſi clanculum ingeſtum fuerit, ex cadavere determinari nequit. Id judici determinandum relinquitur.

5. *Autochiria præcipitatoria.* An qui *ex alto præcipitatus* invenitur, ſe ipſe præcipitem dederit, vel ab alio projectus fuerit, dici utplurimum nequit. Sola vulnera *acuto inſtrumento* inflicta ſuſpicionem dant ab alio præcipitationem fuiſſe factam.

Cum leges autochiris malitioſis *ſepulturam infamem*, ſtatuant, autochiris vero non malitioſis *ſepulturam honeſtam* concedunt, hinc ſectio legalis autochiri ſemper neceſſaria eſt, ut vitæ tædii pateat cauſa.

DE INFANTICIDIO GENERATIM.

Infantis ſub vel poſt partum vitæ ablatio *Infanticidium* vocatur.

CAUSÆ infanticidii ſunt,

1. Mania, vel melancholia matris, ſeu vitæ tædium.
2. Opprobrium, vel pœna, qua quondam fœminæ illicito amore gravidæ in foris afficiebantur.
3. Defectus *publicæ domus obſtetriciæ*, aut deficiens obſtetricum obligatio gravidas puellas clanculum obſtetricandi.
4. Defectus domus publicæ, quæ neonatos alendos ſuſcipit.
5. Rariſſime ſola *malitia* matris cauſa eſt, quæ his conditionibus præſentibus infanticidium tamen committeret. *

INSPECTIO legalis infanticidii indicatur.

1. Si infans *expoſitus* inveniatur mortuus.

---

* *Cel.* CAMPER *Abh. von den Kennzeichen des Lebens, und des Todes bey neugebornen Kindern. Nebſt einigen Gedanken über die Strafen des Kindermords. Frankfurt, und Leipzig.* 1777.

2. Si infans *ſuſpecta*, vel *violenta* morte dicatur mortuus.

3. Si mater infanticidii *ream* ſe confiteatur, ut ſciat judex, an verum: vel putatitium, vel accidentale, vel ex vitæ tædio ſimulatum ſolummodo edicat infanticidium.

Signum Primarium vivi nati infantis eſt *natatio pulmonis* in ſufficienti copia *aquæ puræ* * Infantis mortui nati eſt *ſubſidentia pulmonis in aqua pura.* At in utroque caſu *ſani*, ac *immutati* ſint pulmones oportet.

Hinc ab hac regula excipiuntur ſequentes pulmonum conditiones, nempe

1. *Natant* pulmones, etſi infans natus fuerit mortuus, ſi

α) pulmonibus ab obſtetrice, vel alia perſona *aër* in os *inflatus* fuit. **

---

* *Cel.* Eschenbach *med. leg.* ed. II. *pag.* 192. *nota a.* Copiam aquæ, cui immittitur pulmo ſufficientem requiri ſponte patet, ſi enim adeo parva eſſet copia aquæ, vel pulmo mergi non poſſet, tunc pulmo etiam aëre repletus aqua gravior adhuc fundum peteret, hinc non in nimis magna ſed in nimis parva aquæ copia quis peccare poſſet, idem etiam eſt, an aqua frigida; vel calida ſit, tantummodo ſit pura; at aqua valde ſalita ob ſalis gravitatem differentiam cauſaret. Confer etiam *Cel.* Daniel *Samlung medicin. Gutachten. Leipzig.* 1776. *pag.* 203.

** *Cel.* Jaeger *diſquiſitio medico-forenſis, qua caſus, & annotationes ad vitam fœtus neogoni dijudicandam fa-*

β) ſi pulmones jam *aliquam putredinem conceperunt.

2. *Fundum* petunt pulmones in aqua, etſi infans poſt partum vixit,

α) ſi pulmones ſint *ſcirrhoſi*

β) - ——— — *ſanguine*, vel *muco* infarti, vel *inflammati.*

γ) - ——— quidem putridi, at *rimula aërem emittente* læſi. *

τ) - ——— putredine *penitus deſtructi.* **

---

cientes proponuntur. Ulmæ 1780. *p.* 30. & 27. & *Cel.* DANIEL *commentatio de infantum nuper natorum umbilico, & pulmonibus Hallæ* 1780. Hi duo celeberrimi viri omnium authorum doctiſſime de infanticidii notis ſcripſerunt.

* *Cel.* JAEGER l. c. p. 27. Et ejusdem *diſſ. de fœtibus recens natis jam in utero putridis, & mortuis.* 1767.

** *Cel.* LODER in *programate, quo pulmonum docimaſia ex nova anatomica obſervatione in dubium vocatur. Jenæ* 1779. pulmones ſanos, tam integros, quam in fruſtula ſciſſos fœtus ſeptimeſtris *ex aliorum autem affirmatione* per 13 horas viventis, & clamantis fundum in aqua petere animadvertit. De paradoxo hoc tot aliis obſervationibus contradicente judicium ſuſpendendum eſſe dicit. *Cel.* JAEGER l. c. p. 25. „Cum facile ſupponam, pergit *clariſſimus* JAEGER dexte-
„ rimum virum vitiorum variorum in pulmonibus
„ bene memorem in vitia forſitan latentia (quæ
„ equidem alias in ſubſidentibus fruſtulis ope inflatio-
„ nis inveſtigare ſoleo, ſic, ſuccedente ope tubuli in

3. Tandem quandoque *una pars* pulmonis *natat*, altera ejusdem pulmonis pars *fundum* petit.

Si nempe *una pulmonis pars* indurata, tuberculoſa, infarcta, vel inflammata, & ſi *alia* ejusdem pulmonis *portio*, vel naturali reſpiratione, vel artificiali aëris inflatione, vel putredine diſtenſa fuit.

Hæc omnia ex oculari inſpectione pulmonum noſcuntur, at per quam difficile eſt dictu, an pulmones ex naturali *reſpiratione*, vel ex artificiali *inflatione*, vel ex *putredine* natent.

Signa, quæ docent pulmonem ex *putredine* natare hinc infantem fuiſſe natum mortuum, ſunt

1. Infantis corpus *laxum*, cutis colore puniceo tincta,

„ aliquem ramulum aſperæ arteriæ inſerti inflatione, „ & inde dependente in aquis natatione demum de „ non vitiato pulmone certus) ſumma cum cura „ inquiſiviſſe, momentum rei in eo conſiſtit, an, „ fœtum iſtum *certiſſime clamaſſe*, adeoque revera „ reſpiraſſe, indubitato idoneorum auditorum teſti- „ monio erui queat, etenim, ſi tantummodo mem- „ bra cogitavit, ore forte hiavit, reſpirationemque „ quaſi molitus eſt, non labefactabit, dudum ſtabili- „ tam theſim, ſed eos redarguet, qui cum GALENO „ vitam, & reſpirationem paribus paſſibus ambulare „ ſtatuunt, aut ex aliis vitæ ſignis mox quoque ad „ factam reſpirationem concludunt. „ Poteſt enim fetus ſine reſpiratione poſt partum aliquo tempore vivere.

2. Impreſſiones cranii, ſi adeſſent, vel alius partis *nulla ecchymoſi* ſtipatæ.

3. Signa *putredinis manifeſta*, ut cuticulæ ſeparatio a cute, odor cadaveroſus.

4. Morboſus *ſecundinarum* ſtatus; *plica* abdominalis funis umbilicalis *proſtans*.

5. Situs, habitusque pulmonum, verſus dorſum latentium, cor non tegentium, profunde rubrorum.

6. *Aër* bullularum forma ſub membrana pulmonum extima contentus, quorſum aër reſpiratione, vel inflatione intrans non pervenit.

7. *Aëris* facilis *fuga*, qui inciſis iſtis bullis more pulmonis fruſtula antea natantia, tunc iterum aqua graviora relinquit.

8. Etiam tunc, quando aër per putredinem extricatus non ſub extima membrana, ſed intra ſubſtantiam hæret, talis pulmo diſciſſus, & leviter preſſus facile ſuum aërem dimittit, atque ſic ad ſubſidentiam in aqua adigitur, unde hoc charactere e putredine natantia pulmonis fruſtula a fruſtulis per reſpirationem mutatis, qui pertinaciter aërem dimiſſum in ſuis veſiculis retinent, diſtingui poſſunt.

9. Accedit, haud leve pro natatione pulmonis ex putredine repetenda argumentum *natatio aliorum viſcerum*, lienis, hepatis, renum. Hæc vero viſcera multo tardius ob firmitatem ſubſtantiæ ex putredine natant, quam pulmones.

Signa, quæ docent pulmonem ex *aëris inflatione artificiali* in aqua natare, nondum certa dantur, ſic in tali caſu renuntiatio deciſiva fieri nequit. Neque enim veſicæ urinariæ vacuitas de vita fœtus poſt partum, ut quidam opinantur, quid certi docet. * Neque pondus pulmonis relativum ad corpus infantis, qui reſpiravit, & cui aër inflatus fuit, quid certi decernit. **

Signa, quæ docent infantem *poſt partum ſine reſpiratione* aliquo tempore vixiſſe in cadavere infantis, etiam non dantur.

SIGNA INFANTICIDII PER VULNERATIONEM.

Infanticidæ inhumana rabie agitatæ duplici utplurimum modo vulnus lethale ſuis neonatis infligere ſolent, vulnere nempe *viſibili*, vel *inviſibili* punctura.

1. *Vulnus viſibile*, quale frequentiſſimum eſt *colli perſciſſio*, quæ facili opera viſu cognoſcitur.

Caput partu difficili *abruptum*, vel ſolummodo hinc inde *perruptum* ſcitur teſtimonio obſtetricis, & ex ſignis mortui nati infantis. ***

---

* *Cel.* Jaeger l. c. p. 24.

** *Idem* l. c. p. 32. novum hoc experimentum adducit, & docte refutat.

*** *Cel.* Stein caput ſub partu ſponte ruptum notat in *Program. vom Pelvimeter* p. 4. Poteſt vero etiam

2. *Vulnus*

2. *Vulnus inviſibile.* Quædam infanticidæ ſtilo acuto, vel acu longa jam ſub partu per vaginam adacta caput fœtus crudeliter perforant, adeo ut infans mortuus naſcatur.

Aliæ acu longa *fontanellam* capitis perfodiunt *, vel acum per *nares* ad cerebrum usque adigunt. Aliæ demum acum per *inteſtinum rectum* introducunt, & mortem ſic innocentibus puſionibus accerſunt.

Mors ex his puncturis quandoque cito, quandoque tarde ſupervenit, atque ex ſola cadaveris inſpectione determinari poteſt;

Hinc in inſpectione legali bene mox dicta loca corporis examinanda, & ex legibus lethalitatis dijudicanda ſunt.

SIGNA INFANTICIDII PER CONTUSIONEM.

Infanticidæ quandoque caput, vel thoracem, vel abdomen, vel totum corpus comprimunt, atque ſic viſceribus contuſis vitam ſuis prolibus miſere demunt.

---

infans cum ingenti capitis vulnere vivus poſt partum aliquo tempore ſupereſſe. V. *Ill.* L. B. *de* CRANZ *de re inſtrumentaria in Arte obſt.* §. 38. pag. 34.

* PLENKS *Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenſtände der Wundarzneywiſſenſchaft. Wien* 1775. *p.* 148.

1. *Contuſio capitis* noſcitur ecchymoſi integumentorum, impreſſione, vel fractura cranii, effuſione ſanguinea, vel ſanguineo-ſeroſa in cavo cranii, cerebro, vel inflammato, aut purulento.

At caput diu in pelvi inclavatum, vel forcipe violenter extractum, aut ſub partu in terram ex incuria lapſum, vel obliquo ſitu naſcens eadem phænomena exhibet, ſi vivus naſcatur, vel ſub partu moriatur. In omnibus vero his caſibus caput ſimul *elongatum* eſt; quæ *elongatio* in capite facili partu edito non apparet, ſi violentia poſt partum fuit adhibita.

2. *Contuſio thoracis* in infante vivo etiam ecchymoſi integumentorum, muſculorum, pulmonis, cordis, effuſione cruoris in cava thoracis noſcitur. Thorax *prævius* in partu difficili etiam ſugillatur, at infans cum thorace prævio naſcens ſola obſtetricis verſione naſci poteſt, hinc inde teſtimonium.

3. *Contuſio abdominis* noſcitur ecchymoſi integumentorum, & muſculorum abdominalium. Effuſione cruoris in abdominis cavum, ruptura hepatis, vel lienis &c.

4. *Contuſio totius corporis.* Sic nutrices toto corpore in infantem incumbendo ſæpe totum infantem comprimunt, quod noſcitur,

   1. ex toto corpore *plano*, *compreſſo*,
   2. ——————— ubique *livido*, *ſugillato*,

Sed bene eſt diſtinguendum inter ſugillationem *veram*, & ſugillationem *ſpuriam*.

Sugillatio *vera* eſt macula livida, qua cute diſſecta ſanguinem in cellulis effuſum exhibet.

Sugillatio *ſpuria* eſt macula, vel *livor* cujusdam partis, qui diſſecta cute nullum ſanguinem in celuloſa effuſum habet, ſed in quo ſanguis ſolummodo in vaſis continetur. *Dorſum* tali livore emortuali frequentiſſime ita contaminatum deprehenditur.

Simul patet bene diſtinguendum eſſe, an livor, vel ſugillatio vera non habeat originem a partu difficili, aut plethora, vel ſcorbuto, vel alio morbo putrido. In hoc caſu infans, vel vivus, vel mortuus cum tali ſugillatione poteſt fuiſſe natus. *

Hinc ſugillatio, etſi pulmones monſtrent infantem fuiſſe vivum natum, caute eſt dijudicanda.

SIGNA INFANTICIDII PER SUFFOCATIONEM.

Recens nati ob foraminis ovalis, & canalis Botalli aliquo tempore poſt partum adhuc aperti tardius, ** quam adulti ſuffocantur; at hanc mor-

---

*) *Cel.* Iæger *Quæſtio medico-forenſis, qua caſus, & annotationes ad vitam fœtus neogoni dijudicandam facientes proponuntur. Ulmæ* 1780. *p.* 14. & *Cel.* Bose *programma de ſugillatione in foro caute dijudicanda. Lipſiæ* 1773.

** *Cel.* Bohnius *de officio medici forenſis* p. 662. duas ex coitu illicito a diverſis matribus enixas puellas, ab his vivas, pannis obvolutas, atque in terram defoſſas, humo & ſpinarum mergeribus coopertas poſt aliquot tamen horas iterum viventes fuiſſe erutas teſtatur.

tis ſpeciem in neonatis etiam poſſibilem eſſe experientia docuit.

Solent vero fœminæ ſceleratæ ſuos infantes his *ſeptem* modis utplurimum ſuffocare.

1. *Compreſſione colli*, quam vel manu, vel ligamine peragunt.
2. *Obturatione oris*, & *narium* ope manus, lintei, vel alius corporis faucibus intruſi.
3. *Impoſitione ſtragulorum lecti*, vel corporis ori infantis impoſiti.
4. *Vapore ſulphuris accenſi*, & ori immiſſi,
5. *Incluſione in ciſtam*, vel *ſcatulam*,
6. *Defoſſione in terram*,
7. *Præcipitatione in cloacam*.

Signa generalia facili partu nati, & dein ſuffocati infantis ſunt,

1. *Rubor*, vel *livor faciei*.
2. *Lingua prominula*, tumens.
3. *Trachea* ſero mucoſo plena; & ſpuma in ore præſens.
4. *Pulmones* denſi, liveſcentes, ſanguine infarcti.
5. *Cava cordis dextra*, nempe auricula dextra, ſinus venoſus dexter, & ventriculus cordis dexter ſanguine pleni, & extenſi.
6. *Veſica urinaria* lotio utplurimum vacua.
7. *Venæ jugulares*, atque *Cerebrum* ſanguine turgidum.

At omnia hæc 7. ſigna in infantibus *morbo interno*, ut convulſione, dentitione, catarrho ſuffoca-

tivo, tuſſi convulſiva, aut alio morbo ſuffocativo mortuis obſervantur. Hinc ſignis ſuffocationis generalibus ſpecialia ſunt jungenda.

Signa ſuffocationis *ſpecialia.*

1. *Compressio colli* ligamine peracta noſcitur *linea* circulari rubra, vel livida circa collum conſpicua. *Compreſſio manu facta* ſugillatione in antica parte colli notatur.

Infans cum *collo prævio* natus, & in partu mortuus etiam collum exhibet ſugillatum. Et infans cum *funiculo umbilicali* collo circumvoluto natus, lineam circularem rubram, vel lividam gerit. Hæc vero cauſa ſugillationis ab obſtetrice reſcitur. Aut ſi obſtetrix partui non adfuit certo dici nequit.

2. *Obturatio oris, & narium* ope manus, quæ ſui veſtigium non relinquit, aut ope ſpongiæ, vel lintei faucibus intruſi noſci nequit, ſi infanticida ſedulo corpus obturans poſt mortem infantis removit.

3. *Suffocatio* infantis ope impoſitorum ſtragulorum, aut alius corporis ori infantis impoſiti ex linteo cum ſpuma ſubcruenta ex ore infantis maculato dubiam, ſuſpicionem dat, at his ſtragulis remotis quis rem definiet?

4. *Odor sulphureus* in infante, vel ejus linteis percipiendus ſuſpicionem movet, non autem certum ſuffocationis ſulphureæ ſignum exhibet.

5. *Incluſio in ciſtam*, vel *ſcatulam* ut

6. *Defoſſio* in *terram* ob loci incongruitatem ſuſpectum eſt, at id pauperes ſæpe, ne funeris expenſas gerant, facere conſueſcunt, etiam cum infantibus naturali morte mortuis.

7. *Præcipitatio in cloacam.* Hanc præcipitationem infanticidæ quidem peragunt, at ſi pelvis valde ampla eſt, tunc etiam poſſibile foret, ut fœtus matribus etiam invitis ſub alvum deponendi ſtimulo in cloacam decidat.

Ex his ergo patet admodum circumſpecte pronuntiandum eſſe de ſuffocationum ſpeciebus violentis.

SIGNA INFANTICIDII PER SUBMERSIONEM.

Si infans in fluvio, vel puteo mortuus invenitur, tunc determinandum eſt,

1. an *vivus*, vel *mortuus* fuerit injectus. Nam fœminæ illicito amore gravidæ infantes naturali morte mortuos quandoque fluvio, vel puteo injiciunt, ne opprobrium occurant.
2. quo mortis *genere* infans periit.

Signa infantem *vivum* fuiſſe aquæ immerſum ex docimaſia pulmonali, & notis ſuffocationis per aquam deſumuntur.

Mortis genus ex præſentia, vel abſentia læſionis conſpiciendæ determinatur.

SIGNA INFANTICIDII OB NEGLECTAM FUNICULI UMBILICALIS DELIGATIONEM.

Si funiculus umbilicalis aliquot ab umbilico pollices abſciſſus in infante vegeto non deligetur, tunc ille lethali hæmorrhagia ex funiculo perit. *

Præſertim ſi infans ſimul in *balneum calidum* ponatur, aut

ſi arteriæ umbilicales ex *aorta* originem habeant. Vel

ſi funiculus ex ipſo umbilico eruptus eſt.

Nulla ex non deligato funiculo umbilicali hæmorrhagia obſervatur, funiculus

1. ad *magnam longitudinem* ab umbilico abſcindatur, vel abrumpatur, & contorqueatur.
2. Si *placenta* funiculo adhærens relinquatur.
3. Si infans *valde debilis*, aut
4. in *loco frigido* naſcatur.

Pereunt autem infantes ex hæmorrhagia umbilicali ob inductam keneangiam, ſi ergo hujus ſigna deſunt, tunc omiſſa funiculi umbilicalis deligatio mortis cauſa fuiſſe non potuit.

Simul vero attendendum eſt, an Keneangia fœtus non a prægreſſa hæmorrhagia uterina originem habeat.

---

* *Cel.* Daniel *Commentatio de infantum nuper natorum umbilico, & pulmonibus. Hallæ* 1780.

SIGNA infantem ex hæmorrhagia umbilicali periiſſe, ſunt,

1. *Pallor* faciei, & totius corporis.

2. *Defectus ſanguinis* in vaſis circa cor, & cordis cavis. Hinc ſinus duræ matris, venæ jugulares, vena cava, venæ meſeraicæ, venæ portæ truncus, ventriculi, & utraque auricula cordis examinentur, an ſanguine vacuæ ſint.

3. Funiculus umbilicalis *non deligatus*, aut penes umbilicum *abruptus*.

4. *Hæmorrhagia uterina* ante & ſub partu *nulla* prægreſſa.

5. *Sanguinis effuſio* aliquot unciarum in linteaminibus circa infantem inventa.

6. Demum *docimaſia pulmonalis*, quæ monſtrat infantem vixiſſe.

Si autem in infante, cui funiculus umbilicalis deligatus non fuit, *nulla ſigna Keneangiæ* inveniuntur, tunc dici nequit, quod infans hæmorrhagia umbilicali perierit.

Quandoque autem callidæ infanticidæ *mortuo* per hæmorrhagiam umbilicalem *infante* funiculum umbilicalem ſtudio deligant, ſanguinem effuſum auferunt, & infantem mortuum puris involvunt linteaminibus.

Hæc fraus ex *vacuitate* vaſorum circa cor, & cordis cava ſuſpicatur, ſi mater dicit ante, & in partu nullam hæmorrhagiam uterinam fuiſſe prægreſſam.

Eſt autem etiam poſſibile, ut infans ex hæmorrhagia uterina, aut funiculo ſub partu præter voluntatem matris rupto, valde debilis naſcatur, & paulo poſt partum moriatur. Hinc in hoc caſu vacuitas vaſorum cum deligato tamen funiculo inveniri poteſt.

SIGNA INFANTICIDII PER FRIGUS.

Infantes neonati de nocte in plateas publicas præſertim tempore frigido expoſiti, ſic ſæpe pereunt.

SIGNA ſunt rigor glacialis totius corporis; docimaſia pulmonalis.

SIGNA INFANTICIDII PER COMBUSTIONEM.

Ex *ambuſtione* corporis noſcitur.

Si *pulmones* adhuc *integri*, tunc docimaſia pulmonum inſtituenda.

SIGNA INFANTICIDII PER EFAMMATIONEM.

Infanticidæ quandoque mammas, & victum ſuæ proli denegant, ut ſic pereat.

Ex *macie* totius corporis, ex *vacuitate* ventriculi & inteſtinorum id ſuſpicari poſſumus quidem, vix vero quid certi inde erui poteſt, cum macies ex naturali morbo orta eadem præbeat ſigna.

Major vero eſt certitudo, ſi mater confiteatur ſe diu nec mammas, nec alia nutrimenta præbuiſſe infanti.

SIGNA INFANTICIDII PER NEGLECTAM DEBILITATEM INFANTIS NEONATI.

Infans in partu valde debilis, facile moritur, ſi congrua methodus infantem reſollicandi non adhibeatur.

Nil certi autem de hac mortis cauſa in cadavere infantis indagari poteſt, etiamſi mater confiteatur ſe medicamenta cardiaca ſtudio non adhibuiſſe, cum infantes neonati etiam omni data opera perſæpe moriantur, ſi jam debiles naſcantur.

SIGNA PROCURATI ABORTUS.

Violenta, vel medicamento procurata fœtus viventis expulſio ex utero ante ſeptimum graviditatis menſem dicitur *abortus procuratus.* *

Cum embrio momento conceptionis *vivus*, & *animatus* eſſe incipiat, ut phyſiologia docet.** At-

* *Cel.* PLOUCQUET *Abh. über die gewaltſame Todesarten. Nebſt einem Anhang von dem gefliſſentlichen Miſſgebähren. Tübingen.*

** *Cel.* HEISTER *diſſ. de medicinæ utilitate in Jurisprudentia. Helmſtadt* 1730. §. 40. dicit. Ex anotome, „ & phyſiologia certi ſumus, fœtum mox in prima „ conceptione, vel primo imprægnationis tempore „ jam vivere. Ubi enim in animali motus cordis, &

que cum fœtus ante ſeptimum graviditatis menſem natus ob viſcerum vitalium imbecillitatem *vivus* permanere nequeat, ut experientia docet; hinc verum committit *homicidium*, qui quocunque ante ſextum menſem tempore abortum ſtudio procurat.

Qui vero fœtum *mortuum* expellit; homicidium *morale* non vero phyſicum committit.

Qui fœtum poſt ſextum menſem expellit, ille incertum homicidium committit. Si enim fœtus viſcera vitalia jam robuſta ſint, tunc fœtus in vita permanet; ſi viſcera vitalia autem adhuc valde imbecillia, tunc fœtus moritur.

Triplex datur abortus *ſpecies*. Violentus, medicamentoſus, & ſpontaneus.

1. *Abortus violentus*. Peragitur ſtylo in uteri cavum immiſſo, quo embrionis caput perforatur, & uterus ad abortum irritatur. Hæc ſpecies etiam *Aborticidium* dicitur. Idem etiam

---

„ accretio, ibi vita: ſine motu cordis enim, & „ vita, nullum poteſt fieri fœtus incrementum. Quis „ enim hodie in tam ſplendida phyſiologiæ luce cre- „ dere, aut ſibi perſuadere poterit, fœtum primis „ menſibus, dum primo vix formicam ſuperat, poſſe „ creſcere, & tamen non vivere. Et *Cel.* Frank „ *Syſtem der mediciniſchen Polyzey.* 2. B. 95. S. dicit. *Es iſt allerdings für den Arzt genung, wenn er bewieſen hat, das ein Kind lebe. Die Theologen mögen entſcheiden, ob man eine Zeit lang auch ohne Seele leben könne.*

valida abdominis contuſione aut commotione, aliave violentia utero applicata fieri poteſt.

Signa adhibitæ violentiæ ſunt ſugillatio, vel contuſio in abdomine puerperæ. Vulnus vel ſugillatio in capite embrionis. *

2. *ABORTUS MEDICAMENTOSUS.* Eſt abortus medicamento abortivo vel draſtico procuratus. Nempe forti medicamine purgante, emetico, emmenagogo, aut venæſectione multoties in pede repetito.

Hæc vero medicamenta abortiva ſolummodo abortum procurant, ſi ſimul *diſpoſitio ad abortum* in utero adeſt. ** quæ in robuſtis feminis raro adeſt.

---

* *Cel.* BRENDEL in Eph. N. C. *cent.* 14. obſ. 167. de ancila quæ inſerto in proprium uterum ſtylo foetum occidit, ſed & ſe ipſam. -- & *Act. med. Perol. vol.* IV. p. 95. &c.

** Jam vero certa & attenta obſervatione compertum habemus, non adeo facilem eſſe ſtudio & induſtria abortum provocandi rationem, licet communis ſit ſententia & vulgi & nonnullorum medicorum, dari in rerum natura *abortiva*, quibus pro lubitu omni tempore fetum immaturum ex utero propellere poſſimus; cui tamen aſſerto & experientia & fide dignorum authorum obſervationes repugnant. Memorabile enim eſt, quod ſcribit *Cel* GVARENONIUS in *Conſultatione* 636. vidi multas utero gerentes fortiſſimis medicamentis, multisque venæſectionibus cruciatas & nulla abortum fecit; & ZACUTUS LUSIT. in *praxi admiranda obſervat.* 34. 44. refert

3. *Abortus spontaneus.* Qui ſua ſponte ex uteri prædiſpoſitione ſequitur.

Diſpoſitio ad abortum noſcitur conſtitutione debili totius corporis, temperie plethorica, irritabili, fluore albo, menſtruis copioſis.

Vitio fetus mortui, aut morbo in placenta, vel funiculo umbilicali, aut ovo membranaceo glabro.

Violentia adhibita parva, vel aſſumpto draſtico aut ecbolico non adeo forti, aut fortis exigua doſi non diu continuata.

---

per vehementiſſima purgantia, per ſexies, imo octies repetitas venæſectiones, unguenta fortiſſima & peſſaria vaginæ applicata, per longam inediam, nullos procuratos fuiſſe abortus. Spectat huc quoque notabilis illa obſervatio *Cel.* Sommeri, quam *Dec.* I. *Anno* VI. *obſervat.* 106. Misc. *N. C.* inſeruit mulierem quamdam centum guttas olei deſtillati juniperi per viginti dies omni mane ad menſes provocandos uſurpaſſe, poſtea tamen filium peperiſſe. Fuſius hac de materia agit *Cel.* Albrechtus *Decad* I. *Anno* VIII. *obſervat.* 165. qui refert, fortiſſima emmenagoga, ut olea deſtillata ſabinæ, ſuccini, myrrhata, crocata, aloëtica ad fetum expellendum fruſtra eſſe adhibita: id quod aliquot obſervationibus & auctoritatibus confirmat. Bartholinus in *Miſc. N. C. Anno* I. *Decad.* I. obſ. 52. de geminis gravidis, lue venerea laborantibus refert, quæ a chirurgo, qui neſciebat, eas prægnantes eſſe, mercuriali ſalivatione fuerunt curatæ, nihilominus tamen fetus ſalvos ac ſoſpites poſtea enixæ ſunt.

Ex his ergo liquet in examine abortus procurati, attendendum eſſe.

1. An femina ante adhibitam violentiam vel aſſumptum medicamentum, ſe *gravidam* exiſtimarit.
2. Quo graviditatis *menſe* abortus fuerit factus.
3. An abortus ante, in & poſt partum *ſigna vitæ* dederit.
4. An adhibita violentia fuerit tanta, ut *ſine uteri prædiſpoſitione* potuerit efficere abortum.
5. An aſſumptum medicamentum ex claſſe *ecbolicorum* fuerit? & an doſis, repetitio & continuatio uſus, talis fuerit, ut ſine uteri prædiſpoſitione abortum inferre potuerit?
6. An non *prædiſpoſitio* uteri ad abortum adſit. Hac enim præſente *homicidium accidentale* non vero *culpoſum* fuit commiſum.
7. Demum *corpus delicti* nempe fetus ejectus eſt conſiderandus an revera fetus ſit.
8. Ac an ſigna *prægreſſæ graviditatis* adfuerint ac an *prægreſſi partus* ſigna adſint.

SIGNA SUBJECTI PRO TORTURA

Tortura eſt actus judicialis, quo de crimine quodam plus quam ſemiconvictus ſub territione vel applicatione inſtrumenti dolorifici ad criminis confeſſionem extorquendam tentatur. *

* *Cel.* SONNENFELS *Uber die Abſchaffung der Tortur, Zürich* 1775. *p.* 25.

Medici & chirurgi forenſes quondam a judice interrogabantur, num delinquens hoc vel illo torturæ gradu ſine vitæ aut ſanitatis detrimento affici poſſit.

At generatim ſciant judices oportet, torturam eſſe valde *incertum* & periculoſum veritatis eruendæ remedium. Nam

1. Homines criminis rei, quorum corpus robuſto, ac inſenſili fere nervorum ſyſtemate gaudet, facile torturæ dolores tolerant, & judicem rident.

2. Homines *innocentes*, qui valde ſenſili ac irritabili nervorum ſyſtemate ſunt præditi, præ doloris acerbitate vel convelluntur ac moriuntur. * Vel de crimine, quod nunquam commiſerunt, ſe reos confitentur, cum mors facilius, quam tortura ferenda homini honeſto putetur.

3. Demum innocens tolerata tortura non raro tota vita morbo gravi vel ſanitate læſa afflictus vivere tenetur. Membri enim a tortura affecti inflammatio, ſphacelus, paralyſis, luxatio, laceratio, quamvis cornifex non adeo violentam torturam adhibuit, non raro remanſit.

---

* *Cl.* ALBERTI *ſyſtema jurisprudentiæ medicæ* T. V. ſphacelum ex tortura adnotavit. *Cel.* HILDANUS *kurze Beſchreibung der fürtreflichkeit der Anatomie. Bern* 1624. Tortura fuiſſe ſcapulas ruptas obſervavit; Quare author exorat magiſtratus, ut nolint ſevera & vivum corpus diſcerpente tortura reos quandoque innocentes enecare.

Ideo non ſolum ob metuendam ſanitatis deſtructionem ex præpoſtera tormentorum applicatione reſultantem, ſed etiam propter exempla non pauca, quibus inſontes, præferendis his cruciatibus minus idonei, capite fuerint damnati, criminis vero rei ſuſtinendo dolores atrociſſimos, pœnam capitalem declinarint, in noſtris & aliis plurimis terris Principes Chriſtiani torturas aboleverunt.

Hinc ſigna ſubjecti pro tortura noſtri ævi medicis & chirurgis forenſibus ſcire non amplius neceſſaria ſunt.

SIGNA SUBJECTI PRO SUFFERENDA POENA CORPOREA.

Quando criminum reis, & de his convictis judices pœnas corpus adflictivas decernunt, tunc medici & chirurgi forenſes interrogantur, an non ex corporis afflictione ſanitas deſtruatur, adeo ut delinquens impoſterum reipublicæ inutile maneat membrum.

Poenæ corporeæ dividi poſunt

1. In *territiones*, ut ſi delinquens ad carnificinæ locum tranſportetur.
2. in *afflictiones corporis*, ut virgatio dorſi aut verberatio clunium. Verberatio autem dorſi vel capitis ob periculoſam pulmonum aut cerebri commotionem eſt abroganda.
3. in *pœnas vitam dementes*. Ut ſuſpenſio in patibulo; decollatio, &c.

Ab

A *territione* & *afflictiva corporis pœna* eximendi ſunt.

1. *Gravidæ*, quia abortum ex pœna afflictiva & territione facile pati poſſunt.

2. *Puerperæ* & *menſtruantes*, ne lochia, aut menſtrua ſupprimantur.

3. *lactantes* ne proli nutrimentum detrahatur, aut ſuppreſſo lacte mammæ inflammentur.

4. *Impuberes* ſeu qui annum 14. nondum expleverunt. Hi enim facile éx terrore epileptici fiunt.

5. *Decrepiti*, tum ob animi imbecillitatem, tum ob vaſa nimis fragilia & contuſiones facile in gangrænam degenerantes.

6. Feminæ *hyſtericæ*, aut viri *hypochondriaci*, admodum *timidi* & *epileptici.* Horum enim ſyſtema nerveum peculiari irritabilitate & ſenſilitate eſt præditum.

7. Morbo *febrili* aut *inflammatorio* qualicunque laborantes; præſertim pleuritide aut peripneumonia affecti.

8. *Fluxu* quodam *cruento* affecti, ut vomitu cruento, mictu cruento, hæmophtyſi, fluxu ſanguineo uterino, aut hæmorrhoidali laborantes.

9. *Dolore* quodam gravi affecti, ut arthritide, podagra, colica, cardialgia.

10. *Anhellatione laborantes*, ut aſtmatici, phtyſi-

ci, valde obeſi, aſcitici. Hi enim facile ſub verberibus ſuffocantur.

11. *Paralyſi* affecti, ut apoplectici, hemiplectici,

12. *Cachectici*, ut valde ſcorbutici, ſcrophuloſi, icterici, & anaſarca laborantes, Horum enim contuſiones facile in gangrænam degenerant.

13. Demum qui morbo externo laborant, a verberibus exaſperando, ut vulnere, ulcere magno, fractura, vel luxatione recenti; præſertim vero a verberibus eximantur qui aneuriſmate, hernia & prolapſu laborant.

14. Qui *judicii defectu* laborant, ut melancholici, maniaci, ſtupidi; delirantes, demum aliqui cœci, ſurdi & aphoni.

Ab *ultimo ſupplicio* eximuntur.

1. qui *periculoſo morbo acuto* decumbunt, in his eſt executio ſuſpendenda.

2. — *judicii defectu* laborant, ut maniaci, melancholici, aut ex alia cauſa delirantes, demum aliqui ſtupidi, aut a nativitate cœci, ſurdi, muti.
3. ſi delinquens deprehendatur *gravida.*

EXCUSATIO DELINQUENTIS.

In omni crimine commiſſo inquirendum eſt an delinquens crimen ſuum

1. cum *mente ſana*
2. — *voluntate libera*

3. cum *notitia criminis.*
4. — *voluntate nocendi* peregerit, & an
5. *legitima criminis inquiſitio* facta fuerit.

Excuſantur enim crimina commiſſa, ſaltem cum morte non puniuntur, quæ peraguntur

1. ſine *mente ſana.* *
2. — *voluntate libera*
3. — *voluntate nocendi*
4. — *notitia criminis*, & quando
5. non *legitima criminis inquiſitio* adeſt.

Signa mentis inſanæ. Mente ſana non gaudent,

1. Qui morbis *mentalibus* ſunt affecti, ut melancholici, maniaci, delirio febrili, convulſione, fatuitate laborantes. v. *ſigna morborum ſimulatorum.*

Cum vero multi morbi lucida habeant intervalla, hinc Medius carcerum aliquoties in ſeptimana ſuos captivos viſitare & examinare tenetur.

2. Qui *vitæ tedio* afficiuntur. Vitæ tedium generant omnes morbi, qui magna *anxietate* vel magno *dolore* ſtipantur.

3. Qui *imbecillitate animi* laborant, ut infantes, pueri, ſenes decrepiti; ægroti reconvaleſcentes, verminoſi, gravidæ & puerperæ, puellæ men-

---

* *Cel.* BOSE reſpondente *Cel.* DEUTRICH *diſſ. de morbis mentis delicta excuſantibus. Lipſiæ* 1774.

ſtruatione ſuppreſſa * aut vel nimia irritabilitate ſyſtematis nervei laborantes.

4. Qui gravi *animi affectu* prehenduntur, nempe ira, metu, terrore, oeſtro venereo, ut nymphomaniacæ, vel ut chloroticæ, ac gravidæ pica laborantes.

SIGNA VOLUNTATIS NON LIBERÆ.

Voluntas non libera eſt

1. in *profunde dormientibus*, ut nutricibus, quæ dormientes prolem comprimendo interficiunt.

2. — *Noctambulonibus* qui ſibi, vel aliis noxam vel mortem inferunt.

---

* *Ill.* ZIMMERMANN *Von der Erfahrung in der Arzneykunſt.* II. Th. p. 609. dicit: Ich habe die ſanfteſten und liebens wertheſten Kinder durch Würmer, oder Verſtopfungen in den Gekrösdrüſen, den heftigſten und häſſenswürdigſten Charakter annehmen, und ordentlich kleine Teufel werden geſehen. Ich habe ſehr gelaſſene Jungfern geſehen, die durch die bloſſe Verhaltung ihrer Zeiten etwas mehr als Teufel, die furien geworden. *Ill.* ACREL *chirurgiſche Vorfälle* I. *Band.* I. *Bemerkung.* p. 7. in puero 14. annorum poſt graviſſimum capitis vulnus ſanatum; ingentem animi propenſionem in furtum obſervavit; adeo quidem ut ſæpius in carcerem ob commiſſum furtum duceretur, & gravi fuiſſet pœna affectus, ni illuſtris vir hunc puerum pro fatuo declaraſſet. Narravit mihi medicus fide dignus, quod noverit puellam 12. annorum, quæ pica incendium faciendi laborauit.

Signa nolluntatis nocendi, ut ſi ex incuria, vel joco leve infligitur vulnus, quod mortem excipit. * Si obſtetrix, quæ uterum rumpit, chirurgus qui aneuriſma loco abſceſſus ex igrorantia aperit, medicus qui medicaminis nimiam doſim, ex ignorantia præſcribit, ægrum interficit.

Signa inscitiæ criminis. Sic puella gravida, quæ ſubitaneo partu corripitur, in quo funis umbilicalis rumpitur, omittendo funiculi ligaturam, de qua nunquam aliquid audivit, prolem ex inſcitia necat. * *

Signa illegitimæ inquisitionis.

Si inquiſitio ob *defectum* corporis delicti, aut ob *putredinem cadaveris* non amplius poſſibilis eſt.

Si inquiſitio ſolumodo obiter facta, aut ſi inquiſi-

---

* *Cel.* Petit *Traité des maladies des os.* T. 1. p. 66. mortem pueri ex luxatione nuchæ recenſet, cujus caput quidam joci cauſa adeo levavit, ut corpus in aere eſſet ſuſpenſum.

* * *Ueber die Glaubwürdigkeit der Medicinalberichte in peinlichen Rechtshändeln. Berlin.* 1780. S. 88. dicit egregius anonimus author: Wenn eine Hebamme eine Frau die ſchon gebohren hat, die Unterbindung der Nabelſchnur unterlieſſe, ſo wäre dies freilich muthwillige Schuld. Aber iſt ein einfaltiges Mädchen eben davon unterrichtet – recenſetur nempe caſus ubi puella imprægnata itinerans doloribus ad partum ſubito correpta, peperit.

tores homines *illegales*, aut legales, at ignorantes fuerunt.

Si *error* vel *omiſſum* aliquid in viſo reperto invenitur.

Si non *legitima medela* fuit adhibita. &c.

SIGNA CAPACITATIS HEREDITARIÆ INFANTIS

Ut infans hereditatis alicujus ſit capax, ſequentes 6 conditiones habere tenetur. Debet nempe

1. A *legitimo patre* eſſe genitus.
2. A matre non eſſe *ſuppoſitus*.
3. *vivus* & quidem *totus* naſci.
4. *vitalis*, id eſt: poſt *ſextum menſem* naſci.
5. Non *perfecte monſtroſus* eſſe.
6. In partu gemellorum *primogenitus* eſſe.

Cum a legitima capacitate hereditaria infantum in familiis magnatum divitiæ, honor & felicitas dependeant, hinc ſigna harum 6 conditionum bene examinentur oportet. *

SIGNA PATRIS ILLEGITIMI & LEGITIMI

Pater *illegitimus* cenſetur, ſi

1. revera *impotens* inveniatur. Vide *Signa impotentiæ virilis*.

---

* *Cel.* Ploucquet *über die phyſiſche Erforderniſſe der Erbfähigkeit der Kinder. Tübingen* 1779.

2. Si longe ultra *decem* menſes ſolares vel abfuit, vel coitu abſtinuit, vel mortuus eſt. *

Si vero pater *non impotens* ſcitur, & coitum intra tempus cum ætate infantis nati conveniens exercuiſſe vel dicit, vel ſupponitur, tunc legitimitas patris probatur; cum alia probatio naturalis ſit impoſſibilis.

SIGNA MATRIS ILLEGITIMÆ, & LEGITIMÆ

Mater, quæ infantem parturiiſſe ſe dicit, *illegitima* cenſetur * *

1. Si revera *ſterilis* deprehenditur, Vid. *Signa Sterilitatis muliebris*
2. Si ſigna partus mox prægreſſi deſunt, aut ſi adeſſent, ſi
3. Infantis *conſtitutio* & *habitus* cum ſtatu matris moderno non conveniat.

SIGNA INFANTIS VIVI NATI

Infantis vita poſt partum vel *clara* eſt vel *obſcura*.

1. *Infantis vita clara:* Infans cenſetur *vivus* poſt partum, ſi poſt partum aut ſectionem cæſaream in viva vel mortua matre inſtitutam *clamavit* vel *membra* quædem movit, aut ſi *cor* pulſavit.

---

* *Cel.* PLOUCQUET l. c. p. 9.

* * *Cel.* PLOUCQUET l. c. p. 104.

2. *Infantis vita obſcura*: Si infans his tribus conditionibus abſentibus ſaltem *pulſatio cordis* manu obſtetricis, vel medici, aut chirurgi fuerit percepta. Ut

1. Si *mortui* infantis ſigna *certa* defuerunt.
2. Si in infantis cadavere *pulmones* inveniantur ſani, *aëre* & *ſanguine* repleti. Vid *docimaſia palmonalis*.

Poteſt vero infans vitam aliquo tempore ſine reſpiratione duxiſſe. Si in hoc caſu aer pulmonibus ad infantem excitandum inflatus fuit, tunc difficille diſtinquitur ab infante qui revera reſpiravit, hinc renuntiatio *dubia*.

SIGNA INFANTIS MORTUI NATI.

Infans qui *mortuus* naſcitur hareditaris non eſt capax, eſt autem hereditatis capax, ſi poſt nativitatem moriatur.

Poteſt vero infans ante, vel ſub partu mori

1. *Signa infantis jam ante nativitatem mortui*, ex ſignis putredinis & pulmonibus ſanis non natantibus eruitur. V. *docimaſia pulmonalis*.
2. *Signa infantis poſt nativitatem mortui* ſunt abſentia putredinis, pulmones ſani, nec putridi nec inflati & tamen in aqua natantes.

SIGNA INFANTIS MATURI.

Maturus vocatur infans, qui finito nono graviditatis menſe ſolari naſcitur.

Eſt vero partus 38. vel 39. vel 40. ſeptimana poſt coitum celebratum contingens, partus maturus cenſendus, cum natura non abſolute ad noni menſis ſolaris finem ſe adſtringat. *

Signa infantis maturi perſcrutanda ſunt

1. Si mulier neogama maturum infantem pro immaturo ſupponere tentat.
2. Si mulier maturum infantem pro immaturo marito ultra tempus conſuetum abſente, vel mortuo, vel non cohabitante ſupponit.

Signa maturi fœtus ſunt **

1. *Pondus* ſex librarum
2. *longitudo* inter 18. & 20. poll.
3. *Funiculus umbilicalis craſſus*
4. *Capilli longi, ſolidi.*
5. *Unques* longi & duri.
6. *Teſticuli* in ſcroto præſentes.
7. *Fontanella* arcta
8. *Cuticula* paulo poſt partum alba & firma
9. *Oculi palpebræ* bene apertæ, ſupercilia bene formata.
10. *Actiones* neunati bene ſuccedentes. Ut Alvi & urinæ egeſtio; lactatio facilis, motus membrorum validus; appetentia cibi oblati; vivida cir-

---

* *Cel.* PLOUCQUET l. c. p. 74.

** *Cel.* PLOUCQUET. l. c. p. 84.

cumſpectio cum oculis bene apertis, ejulatus validus.

Prima duo ſigna cum toroſo corporis habitu ſunt ex omnibus certiſſima infantis maturi ſigna.

SIGNA INFANTIS PRÆMATURI.

Præmaturus dicitur fetus, qui ſeptimo, octavo vel medio nono menſe ſolari graviditatis naſcitur.*

Senſu juridico fetus ſemptimeſtris, octomeſtris & ſeminovimeſtris etiam *vitalis* dicitur, cum talis fetus vivus manere poſſit.

Hæc ſigna petuntur

1. Si mater prolem maturam pro immatura, aut immaturam pro matura ſubſtituere cupit.
2. Si pater prolem immaturam pro matura cenſet, ac de uxoris caſtitate dubitat.

1. *Pondus* fœtus maturi ſex libris utplurimum æquale eſt, in fœtu *præmaturo* infra quintam libram vel intra $5\frac{1}{2}$ libram ut plurimum ſubſiſtit. Qui itaque fœtus pondere vel æquat, vel ſuperat ſex libras *maturus* eſt, qui non æquat præcipue ſi ultra mediam libram a ſex libris deſideratur, *præmaturus* eſt. **

* *Cel.* RICKMANN reſp. *Cel.* DOPPELMAIR *diſſ. de partu legitimo.* continetur in *Cel.* GRUNER *Delectu diſſ. medic. jenenſium.* Altenburgi 1779. Vol. I. p. 1.

** Septimo menſe pendet fetus quandoque libras $3\frac{1}{4}$

2. *Longitudo* in fœtu maturo ad minimum æqualis eſſe debet longitudini unius pedis atque ſex pollicum. Si ergo longitudo nondum magnitudini pedis eſt æqualis *immaturus* videtur partus. *

3. *Funiculus umbilicalis* in partu maturo craſſior; *præmaturo* autem tenuior eſt, ſæpeque vitium in ſecundinis gerit.

4. *Fœtus maturus capillis veris* in capite eſt inſtructus, in *præmaturo* autem capilli ſunt tenerrimi, albicantes, vel flaveſcentes & nitentes.

5. Fœtus maturus *ungues* in pedibus manibusque longiores & induratos habet. In *præmaturo* fœtu ſunt breves atque molliores.

6. *Scrotum* in fœtu præmaturo maſculino utplurimum *teſticulis* eſt vacuum; in fœtu autem præmaturo feminio *pudendorum labia* inſigni tumore elevantur.

7. *Fontanella* ſeu hiatus rhomboideus in capite fœtus præmaturi plus diſtat, oſſaque bregmatis ad ſuturæ ſagittalis longitudinem minus coeunt.

8. *Cuticula* in partu præmaturo eſt tenerrina &

---

vel $3\frac{1}{2}$ vid. *Cel.* STEIN *Beſchreibung eines Baromacrometers und Cephalometers. &c. Caſſel-* 1775.

* Minor in menſura longitudinis, quam ponderis differentia obſervatur inter fœtus maturos & præmaturos, cum maſſa magis, quam longitudo fœtus ultimis graviditatis menſibus creſcere videtur. *Cel.* ROEDERER *diſſ. de temporum in graviditate & partu æſtimatione.* §. XIV. n. 5.

color cuticulæ non eſt albidus ut in maturo fœtu, ſed rubens.

9. *Auriculæ* atque *labia oris* inſtar carnis cruentæ ſeſe in fœtu præmaturo ſiſtunt & aures ſunt tenues.

10. *Palpebræ* in fœtu præmaturo ſunt conniventes atque ſupercilia tenerrima.

11. *Impotentia* actiones fœtui maturo convenientes exercendi in fœtu præmaturo adeſt. Nimirum *maturus* fœtus paulo poſt partum, alvum & urinam exonerat; membra perfecte movet; ubera ducit, cibumque convenientem oblatum appetit; oculos ſæpe aperit & vivide circumſpicit, vox ſufficiens cum ejulatu ſe prodit &c.

Partus *præmaturus* vero imbecillis eſt, membra vix aut debiliter movet, papillas mammarum ſuis labiis prehendere atque lac ſugere difficillime, aut plane non poteſt, cibum oblatum non appetit, continuo fere ſomno detinetur; frigus aeris ambientis perferre non poteſt.

Poteſt autem quandoque fieri, ut fœtus abundantius nutritus ante nonum menſem excludatur maturus & perfectus, ut experientia docuit. *

---

* *Cel.* LA MOTTE *liv. I. chap.* 27. 28. noverat mulierem juvenem, quæ matrimonio juncta ſeptimo menſe peperit filiolum vegetum, maturum, dubitante marito de caſtitate uxoris ſuæ. Cum autem maritus denuo cum uxore congrederetur, illa vero denuo ſeptimo menſe a congreſſu hoc celebrato, alterum, itidem vegetum, ac maturum filiolum peperit in ſui

Primiparæ uno menſe vel medio citius non raro pariunt, ut & hæ quæ gemallos utero gerunt. *

SIGNA INFANTIS IMMATURI ſeu NON VITALIS.

Fœtus ante initium ſeptimi menſis ſolaris natus dicitur *immaturus* ſeu *Abortus*.

Senſu juridico vocatur *non vitalis* etſi vivus naſcatur, quia talis fœtus in vita permanere nequit. **

Cum infans immaturus hæreditatis paternæ vel maternæ non ſit capax &

Cum matres fetum immaturum ſeu non vitalem, pro præmaturo ſeu vitali ſæpe vendant, hinc ſigna immaturitatis ſunt medico & chirurgi forenſi ſcitu neceſſaria.

Signa abortus ſeu fetus immaturi optime ex longitudine & pondere corporis deſumuntur.

---

ipſius, & mariti plenariam ſatisfactionem. Uterque infans adolevit & porro militiæ nomen dedit. Addit celeberrimus in arte obſtetricia author filias ejusdem mulieris pariter ſeptimo menſe parere. *Obſerv.* 77. p. 122. ut adeo appareat partum ſeptimeſtrem maturum in hac familia gentilitium fuiſſe. Teſtatur etiam *illuſt.* VAN SWIETEN ſe noviſſe aliquot adoleſcentes vegetos ac robuſtos, de quibus certus eſſe poterat quod ſeptimo menſe nati fuerint *Coment* T. IV. p. 516.

* *Cel.* STEIN *theor. Anleitung zur Geburtschilfe p.* 70.

** *Cel.* HOIN *Mémoire ſur la vitalité des enfans. Paris* 1765. & *Novi commentarii Soc. reg. Göttingenſis.* T. III. WRISBERG *de vita fœtuum humanorum dijudicanda.*

1. Ante diem *vigeſimum* fœtus non eſt viſibilis, *quadrageſimo* die habet longitudinem pollicis medii. Secundo menſe *nondum* integrum, tertio *integrum* pollicem. Quarto menſe utra 4. pollices habet. *

2. *pondus* infra 3. libras fetum immaturum indicat. **

3. Partus immaturus utplurimum cum prævia *hemorrhagia uterina* contingit.

4. *Secundinæ* utplurimum minores ſunt ac ſæpe remanent.

5. Demum omnia ſigna immaturitatis valde conſpicua in omnibus partibus corporis adſunt.

---

* *Cel.* PLOUQUET. l. c. p. 83. &c. *Longitudinem* fœtus trimeſtris varii authores dant variam. Longitudinem tertio menſe dicunt eſſe æqualem 3. pollices *Ill.* BUFFON, 6. pollices *Cel.* LEVRET. 2. pollices *Cel.* BURTON unum pollicem & medium *Cel.* SMELLIE. unum pollicem. Vide *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VIII. §. XLII. p. 371.

** Ratione *ponderis* iterum variant authores. *Cel.* SMELLIE tertio menſe pondus fetus æſtimat inter uncias 2. vel 3. MAURICEAU dat tali fetui uncias 3. Ex his ergo patet, quam manca adhuc & incompleta de ſtatu embrionis primis 6. menſibus ſit notitia longitudinis & ponderis. Vid. *Nova Act.* N. C. T. VI. p. 160.

SIGNA INFANTIS SEROTINI.

Quæſtio an infans partu ſerotino poſt mortem, vel abſentiam mariti natus, pro legitimo ſit habendus, quandoque in foro obvenit.

Serotinus dicitur partus, qui poſt graviditatis nonum menſem ſolarem contingit.

Dividi poteſt partus ſerotinus in *verum*, in *putatitium*, & in *ſimulatum.*

1. *Patus ſerotinus verus.* Ad unam alteramve ſeptimanam, imo ad finem decimi menſis ſolaris graviditatem prolongari poſſe credibile eſt, ut obſervationes quædam docere videntur. * Hinc jura, ut hac in re viduabus faveant, fœtum ad initium undecimi menſis ſolaris natum pro legitimo declarant.

Partus vero *undecimo*, *duodecimo* aut *decimo tertio* menſe ſolari poſt mariti vel defuncti vel abſentis vel divortio ſeparati abſentiam contingentes merito pro illegitimis declarantur.

Signa graviditatis decimeſtris vel undecimeſtris 1° ex *motu manifeſto fetus* ultra 6. vel 7. menſes ante partum percepto judicari ſolent.

2. Si finito nono menſe graviditatis *dolores ad partum* per aliquot horas ingruiſſe, & iterum deſiiſſe conſtet.

---

* *Cel.* GAHN *diſſ. de partu ſerotino. Upſaliæ* 1770. *p.* 5. & *Epiſtol. ab eruditis viris ad* HALLERUM *ſcriptarum* Vol. I. Ep. 10.

3. Si infans ſigna *toroſitatis* majoris habeat.

2. PARTUS SEROTINUS PUTATITIUS. Quandoque feminæ, quibus uno vel duobus menſibus ante conceptionem menſtrua non fluxerunt, ſe gravidas jam a duobus vel tribus menſibus primo menſis graviditatis cenſent. In aliis gravidis fetus uno fere menſe citius ſe movet. Hæ fæminæ ex erroneo calculo graviditatis, partum ſerotinum inſtare putant.

3. PARTUS SEROTINUS SIMULATUS. Mulieres hereditatis cupidæ, aut ut furtivum amorem tegant, adeo aſtutæ quandoque ſunt, ut uno vel duobus vel pluribus menſibus poſt abſentiam, vel mortem mariti illicito amore imprægnatæ menſtruorum emanſionem, & fetus motum incipientem jam a tot menſibus adeſſe mentiantur, ut ſic partum decimeſtrem, undecimeſtrem, aut adhuc longiorem fingere poſſint.

Signa partus ſerotini ſimulati cenſentur. *

1. Si uxor primis menſibus poſt mortem, aut abitum mariti, ſe gravidam eſſe negavit.
2. — uxor ab initio graviditatis nec debilis, nec pallida fuerit, nec vomitus, aut deliquia ſenſerit: & ſua menſtrua habuit.
3. — nono menſe poſt obitum mariti nullos dolores ad partum ſenſit.
4. — partus facilis fuit, nec præter ſolitum pondere & longitudine auctus.

---

* *Cel.* GAHN l. c. p. 39.

5. Ad hæc, ſi clandeſtina viduæ ad novos amores feſtinatio, aut quæ alia ſunt vitæ diſſolutioris indicia, a judice exploranda, adſunt, tunc partus, qui prætenditur ſerotinus adhuc certius pro illegitimo declarari poteſt.

SIGNA INFANTIS SUPPOSITI.

Mulieres *ſteriles* hereditatis obtinendæ cauſa quandoque per novem menſes ſe gravidas, tandem ſe parturientes fingunt, ac infantem alienum pro proprio conſanguineis, maritoque ſupponunt.*

Etiam *Nutrices* ruri tegentes quandoque propriam prolem pro prole ad lactandum accepta parentibus reddunt. **

Noscitur infantem eſſe ſuppoſitum, ſi

1. in matre mox enixi partus ſigna deſunt,
2. Si in infante, qui recens natus dicitur, *umbilicus* jam *conſolidatus* invenitur.

Signa infantis neonati ſunt,

1. *Pondus* 6 librarum; *longitudo* 18, vel 20 pollicum.
2. *Rubor* totius corporis, qui biduo, vel triduo obſervatur, hunc ruborem excipit *flavedo* totius corporis, qui intra biduum, vel triduum, in naturalem colorem abit.

---

* *Cel.* Ploucquet l. c. 105. S. & 119.

** *Cel.* Frank *mediciniſche Polyzey.* 2. Th. 384. S.

3. *Palpebræ* ab admota manu primis diebus nictitant.

4. *Funiculus umbilicalis* adhuc adhærens mollis, & pellucidus; altero vel tertio die ſiccus, quinto, vel ſexto utplurimum delabens.

5. *Phyſiognomia* aliena a patre nihil docet. Si vero mulier alba cum æthiope nigro imprægnata fuiſſet, tunc color infantis fuſcus multum doceret.

Si vero ſuſpicio partus ſuppoſitii poſt plures ſeptimanas, aut menſes primum oriatur, tunc ex infante nihil certi erui poteſt, at in ſterili matre ſigna nunquam prægreſſi partus deprehenduntur.

Si vero mulier, quæ revera peperit, mox loco puellæ, vel infantis mortui infantem ſupponit maſculum, vel vivum etiam mox natum, tunc inquiſitio nihil edocet.

Diabolum matri prolem ſuam poſſe rapere, ac aliam ſupponere ad aniles fabulas pertinet. *

SIGNA INFANTIS SUPERFOETATI.

Mulier ex marito defuncto *gravida*, alteri viro nubens, vel *ſuperfœtata* poſt mortem mariti parturiens ſignis infantis ſuperfœtati anſam poſſet dare. Cum quæſtio in foro moveretur, cui marito fœtus unus, vel alter adſcribi deberet.

* *Cel.* HEISTERI *diſſ. infantes pro ſuppoſitis a diabolo habitos, vulgo Wechſelbälge, fuiſſe rachiticos. Helmſt.* 1725.

Imprægnatio fœminæ jam gravidæ *ſuperfœtatio* vocatur. *

Hæc poſſibilis eſſe videtur, ſi fœmina uterum duplicem, aut bilocularem habeat, aut ſi extrauterina, & ſimul uterina graviditas adeſſet.

SIGNA ſuperfœtationis ſunt, ſi mulier aliquot menſes poſt enixum maturum fetum, iterum pariat alium etiam maturum fetum.

Si tempore inter duos partus maturi fetus intermedio ſigna graviditatis adfuerunt.

Sic ex computatione temporis decidi deberet, cui maritorum quilibet infantum adſcribi deberet.

SIGNA PRIMOGENITI GEMELLORUM.

Cum magnatum *primogenitus* peculiari jure fruatur, hinc in partu gemellorum, trimellorum, aut quadrimellorum bene quis illorum primus natus ſit, attendendum eſt.

Qui ergo primus ex utero excluditur, aut verſione extrahitur, ille ſtatim ſignandus eſt. Hac autem ſignatura neglecta, nil certi determinari poteſt. Nam nec ex corporis, aut animi majori robore, nec ex aliis ſignis certo, quis primogenitus ſit, dici poteſt.

---

* *Cel.* HALLERI *Elem. Phyſ.* Tom. VIII. p. 164 & *Cel.* PLOUCQUET *l. c. p.* 100.

In *ſectione cæſarea* jus Primogenituræ cadit in illum, qui primus in manus chirurgi inciderit.

SIGNA GRAVIDITATIS SIMULATÆ.

Fingunt ſe gravidas.

1. *Uxores prolibus deſtitutæ*, ut marito prolem alienum ſupponere poſſint, aut ut poſt mortem mariti mediante prole heredes fiant.

2. *Meretrices*, ut a ſuis procis pro prole alendo pecunias extorqueant.

3. Fœminæ *mendicantes*, ut facilius eleemoſinas obtineant.

4. Mulieres a maritis, vel alio verberibus exceptæ, ut percuſſores pœnam incurrant.

5. Demum fœminæ ad torturam, ſupplicium, aut aliam corporis pœnam damnatæ, ut tempus pro avertenda pœna lucrentur.

Solent hæ fœminæ menſtrua celare; abdomen pulvinaribus tumidum reddere; arte ſibi vomitum procurare, nauſeam, malaciam, odontalgiam, ptyaliſmum, crura tumida fingere.

SIGNA graviditatis ſimulatæ ſunt, ſi fœmina, jam medium graviditatis tempus eſſe elapſum dicit,

1. Si *orificium uterinum* firmum, acuminatum, tranſverſali rima apertum digito exploretur.

2. Nullus in abdomine manu frigida tacto *motus embrionis*.

3. *Abdomen* ſupra oſſa pubis *non tumidum.*
4. Adhuc magis ſimulatio innoteſcit, ſi *ætas incongrua*, aut alia *ſterilitatis* ſigna ſimul deprehendantur.

SIGNA GRAVIDITATIS CELATÆ.

Graviditatem celare ſolent,

1. Puellæ, ac viduæ ex *illicito amore* gravidæ, ne meretricum opprobrium incurrant.
2. Uxores, quæ *abſente*, vel *impotente* marito impraegnantur, ut adulterii pœnam effugiant.
3. Demum fœminæ ad ſupplicium, torturam, vel aliam corporis pœnam damnatæ, in foro criminali ante executionem viſitari debent, an non gravidæ ſint, etſi graviditatem negent, ne proles pereat. *

SIGNA graviditatis in *certa*, & *incerta* dividuntur.

Signa *certa* ſunt hæc quatuor, at ſimul præſentia ſint, oportet.

1. *Abdomen* ſupra oſſa pubis intumeſcens, ac ſimul
2. *Orificium uterinum*, rotundum, craſſum, molle.
3. *Rima orificii* uterini a figura tranſverſali in annularem penitus, vel pro parte contracta.

* BARTHOLINI enim ævo fœmina cum gemellis gravida ſuſpendebatur.

4. *Motus* manifeſtus embrionis in abdomine tumido manu percipiendus.

Signa *incerta* graviditatis ſunt, vomitus matutinus, odontalgia, pica, menſtruorum defectus, mammæ tumidæ, &c. hæc phænomena ſola, niſi certa graviditatis ſigna ſimul habeant ſocia, nihil de graviditate docent.

Cum autem graviditatis ſigna certa ante elapſum quintum graviditatis menſem admodum obſcura ſint, hinc medicus legalis ante ſextum menſem de graviditatis certitudine ſuam non pronuntiet ſententiam.

In fœminis vero ad ſupplicium, vel aliam corporis pœnam damnatis totum graviditatis tempus exſpectandum eſt, ſi minima adeſſent graviditatis indicia.

Signa *primæ graviditatis*, ſi judici opus foret ſcire, petuntur

Ex abſentibus ſignis prolis quondam enixi, hinc

1. Ex præſentia frenuli labiorum vulvæ, &

2. Ex rima uterina tranſverſali in aperturam circularem contracta, & *perfecte clauſa.*

3. Ex *tenuitate cervicis uterinæ* ſacci membranacei inſtar caput infantis circa finem graviditatis circumdante.

Saccus enim hicce in repetitis graviditatibus *craſſior* deprehenditur; *Rima* vero uterina in ſecunda, ac pluries repetita graviditate contra-

hitur quidem in annulum, non autem adeo *perfecte* clauditur, ac in prima graviditate.*

Graviditas *celata* ſub prætextu dati *philtri*, aut imprægnationis in diſtans factæ, aut incumbentis dæmonis, ut quondam fuit creditum, ad fabulas refertur. Nec imprægnatio *profunde* dormientis fœminæ videtur eſſe poſſibilis.

SIGNA PARTUS PRÆGRESSI.

Hæc ſigna ſunt neceſſaria, quando

1. mulieres de partu infantis *illegitimi*, aut
2. ——— — ——— ——— *ſuppoſitii*, vel
3. fœminæ de infanticidio, aut abortu, aut infante expoſito, ſunt ſuſpectæ.

SIGNA partus ante *tres*, vel *quatuor dies* prægreſſi, ſunt *

1. *Tumor mollis* partium genitalium externarum.
2. *Vaginæ uterinæ* magna amplitudo.
3. Fluxus *lochiorum rubrorum*, vel *alborum* acidum ſpirantium.
4. *Orificium uterinum* molle, aliquantum hians, in margine labiorum inæquale.

---

* *Cel. Prof.* STEIN *theoretiſche Einleitung zur Geburtshilfe.* S. 54.

* *Cel.* MOELLER *diſſ. exhibens criteria partus olim enixi diagnoſtica. Gœttingæ* 1771.

5. *Abdominis* rugoſitas, & flacciditas.

6. *Mammæ* turgidæ, & *lac* in illis præſens.

7. Papillæ mammarum craſſæ, & *diſcus* coloratior.

8. *Lineæ* albicantes, & ſplendentes in abdomine.

9. Maculæ *varicoſæ* in cruribus.

10. Abſentia *frenuli* labiorum vulvæ.

Signa autem partus jam ante *longum tempus prægreſſi* duo ſunt, quæ vero conjuncta inveniri debent.

1. Abſentia *frenuli* labiorum vulvæ

2. *Orificii uterini* inæqualitas.

3. *Corpus luteum* poſt mortem in ovario, ſi cadaver eſſet in quirendum.

Cætera autem recenſita ſigna poſt partum aliquot ſeptimanis ſenſim penitus evaneſcunt.

Signa *prægreſſi abortus*, aut *molæ parvæ* excluſæ, quæ nec frenulum labiorum, nec orificium uterinum lacerant, certa non dantur.

SIGNA PARTUS SIMULATI.

Fœminæ, quæ gravidas ſe novem menſibus finxerunt, demum tempore, quo ſua menſtrua habent parturientes ſe ſimulant, clanculum ſubſtituunt infantem alienum, ac puerperium obſervant.

At fœminam *menſtruatam* a puerpera diſtingunt. Abſentia ſignorum partus prægreſſi in genitalibus, & in mammis, ut mox diximus.

SIGNA MOLÆ ENIXÆ.

Quæritur in foro civili, an de *caſtitate fœminæ*, quæ *molam* enititur, dubitare liceat.

Fœminæ, demum, quæ de *abortu abacto* accuſantur, hunc molam fuiſſe, utplurimum prætendunt, hinc ſigna molæ enixæ medico legali ſcitu ſunt neceſſaria.

MOLA eſt maſſa ſolida ex utero excreta. Molarum *ſpecies* ſunt.

1. *MOLA EMBRIONATA*, quæ maſſam refert carneo-ſpongioſam, cujus pars inferior veſiculam humore, atque embryone repletam gerit.

De mola embryonata nullum dubium eſt, coitum non fuiſſe prægreſſum.

2. *MOLA NON EMBRIONATA*, quæ vel maſſam *ſpongioſam*, vel *hydatitoſam*, vel *veſicam aquoſam* refert. Poteſt harum molarum *origo* fuiſſe ovulum impprægnatum, quod mortuo, ac putredine liquato embryone degeneravit in molam, at

Poteſt etiam relicta ab ultimo partu *placentæ particula* eſſe; * poteſt demum *polypus uterinus* degeneratus, & ſua ſponte ſolutus eſſe, nam dantur polypi molles nullo petiolo inſtructi.

---

* *Cel.* MORGAGNI *von den Sitz*, *und Urſachen der Krankheiten.* 28. *Brief.* S. 1690.

Opinatur demum celeberrimus Author * *ovulum non animatum*, ex libidinoſa idæa ſine viri coitu ex ovario in uteri cavum pervenire, ac ibi in molam degenerare poſſe.

3. *Mola sanguinea*, quæ maſſa pyriformis eſt, cujus *baſis*, & *corpus* ſolida, rubra, & pſeudomembrana ex glutine ſanguinis facta involvitur; *apex* vero mollis eſt. **

Origo hujus molæ a ſanguine menſtruo retento, & admiſſo in uterum aëre coagulato eſt, hinc caſtas virgines, & viduas ſine admiſſo coitu tales molas eniti poſſe poſſibile eſt. ***

Ex his ergo patet quanta cum prudentia medicus, & chirurgus legalis molæ indolem indagare debeat, ne temere illibatæ pudicitiæ virginibus caſtisve viduabus incontinentiæ nota inuratur.

SIGNA DEFLORATIONIS.

Notio virginitatis læſæ, aut illibatæ medico forenſi eſt neceſſaria.

---

* Cel. WALTER *Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geſchlechts. Berlin* 1776.

** Hæ molæ aqua tepida non quidem ſolvuntur cum maxima parte ex glutine ſanguinis, quod aqua inſolubile eſt, conſtent. Etiam grumus ſanguinis aqua ſua ſponte ob hoc gluten non ſolvitur.

*** *Ill.* VAN SWIETEN. *Com.* T. IV. p. 600. & *Cel.* RUYSCH. *obſerv. anat. chirurg.* N. 58. p. 54.

1. Quando uxor maritum de perfecta impotentia accuſat, ac divortium petit.

2. Si ſponſus ſuæ ſponſæ virginitatem jam ante nuptias læſam cenſet, & ideo matrimonium promiſſum inire recuſat.

3. Dum illibata virgo læſæ virginitatis diffamationem coram judicio amovere conatur.

4. Si virgo deflorata ſe pro virgine integerrima cenſeri in foro cupit.

Triplex datur virginitatis ſpecies. Virginitas

1. *phyſica*,
2. *moralis*,
3. *deflorata*.

1. *Virginitas physica* eſt partium genitalium in puella ſtatus illibatus, & integerrimus, hinc, nec per coitum, nec per morbum, nec per aliam cauſam læſus, aut mutatus.

Signa virginitatis phyſicæ, ſeu integerrimæ ſunt,

1. *Labia majora* vulvæ tumida, & duriuſcula, nymphas tegentia.

2. *Nymphæ* tenues, roſeæ, ultra labia majora non prominentes.

3. *Frenulum labiorum* tenſum, non laxum.

4. *Vaginæ orificium* anguſtum, & *vaginæ* admodum *rugoſa.*

5. Demum *primarium ſignum* eſt *hymenis* integritas, cum reliquis mox dictis ſignis præſens.*

6. Tandem *coitus primus* doloroſus aliquantum, & utplurimum ſubcruentus eſſe ſolet.

2. *VIRGINITAS DEFLORATA* eſt partium genitalium in fœmina ſtatus per coitum læſus, & mutatus.

Signa virginitatis per coitum frequentiorem læſæ ſunt,

1. *Labia majora* magis flaccida, minus conniventia.
2. *Nymphæ* magis prominentes, & obſcurius rubentes.
3. *Clitoris* magis eminens, & præputio tecta.
4. *Vagina* magis ampla, minus rugoſa.
5. *Hymen deficiens.* Qui defectus primarium eſt læſæ virginitatis ſignum, aut
6. Hymen cum *deflorationis*, vel *graviditatis* ſignis præſens. **

---

* Hymen eſt membrana ut plurimum circularis ſub urethra autem deficiens, oſtium vaginæ inſtar valvulæ claudens, in fœtu, & virgine integerrima ſemper præſens. Cum hymen in ſolo homine reperiatur, & omnia cætera animalia eo deſtituantur, hinc vix dubites hanc particulam homini ad morales fines etiam eſſe datam, quo ſigno vitium illatum cognoſcatur, & pura virgo decus ſuum poſſit tueri. *Ill.* HALLERI *Elem. phyſiol.* T. VII. *Libro* XXVIII. §. 26.

** Hymen adeo ſolidum, aut adeo laxum, ut coitu non rumpatur, eſt caſus morboſus, & rariſſimus, hinc generalem regulam non infringit. Talis hymenis inte-

3. *VIRGINITAS MORALIS* eſt partium genitalium in virgine ſtatus non per coitum, ſed per aliam cauſam in-vel externam mutatus, vel læſus.

Sic *ſluor albus* hereditarius, aut chloroticus vaginam, & labia flacceſcere facit, hymen vero non vitiat.

Sic violenta *contuſio*, aut palpatio digitalis genitalium, aut divaricatio nimia femorum, demum violentus prolapſus uteri, vel ulcera in oſtio vaginæ hymen ſufferre valent.

Signa vero moralis virginitatis ex morbo præſenti, vel prægreſſo cum conditione, ſeu indole reliquarum partium genitalium collata dijudicari debent.

4. *VIGINITAS SIMULATA*, quæ medicamentis adſtringentibus inducitur; hæc ſedula inveſtigatione elutis genitalibus noſcitur.

SIGNA STUPRI VIOLENTI.

Violentia non conſentientis virginis, mulieris, aut Viduæ compreſſio, *ſtuprum* dicitur *violentum*.

---

gritas in ipſis gravidis jam fuit viſa. Dantur etiam vaginæ concretiones membranaceæ, quæ hymen repræſentant, quale hymen poſt partum ipſum natum recenſet *Cel.* WALTER *Betrachtungen über die Geburtstheile des weiblichen Geſchlechts. Berlin* 1776. *S.* 11. & 12.

Cum talis actio jure naturæ, & civili prohibeatur, hinc quandoque de facti veritate medici, ac chirurgi legalis judicium requiritur.

Dividitur ſtuprum violentum in *perfectum* in *imperfectum*, & in *ſimulatum*.

1. *Stuprum violentum perfectum*, ſeu *consummatum*, quod adeſt, ſi ſemen ex membro virili vaginæ muliebri immiſſo effundatur, non eſt poſſibile, niſi in fœminis mente captis, ſyncopticis, vino, aut opio ſopitis, vel profunde dormientibus, aut hominibus pluribus ad coitum adſiſtentibus.

Signa ſtupri violenti conſummati ſolummodo in puellis teneris, non vero in virginibus admodum adultis, aut in mulieribus dantur. Imo hæc ipſa ſigna in puellis teneris ſtatim a facta violentia ſunt examinanda, tardius enim evaneſcunt. Huc ergo pertinet,

1. *Hymenis* dilaceratio ſine plenaria ejus detritione.

2. *Perinæi fiſſura*, quæ quandoque obſervatur.

3. Vulvæ *cruentatio*, inflammatoria intumeſcentia, maculæ ſanguineæ in induſio.

2. *Stuprum violentum imperfectum*, ſeu *attentatum*, quando nempe membrum vaginæ non immittitur, ſed ſolummodo externe adfricatur. *Signa* ſunt vulvæ

cruentatio, levis inflatio, maculæ quandoque ſanguineæ in induſio, at hymenis integritas. *

3. *Stuprum violentum simulatum.* Virgines jam dudum defloratæ, quandoque acribus medicamentis ſibi ſinum vulvæ cruentant, & inflammant, ut quemdam de ſtupro violento accuſare poſſint.

Fraus detegitur, ſi ſanata intumeſcentia ſigna virginitatis multum defloratæ adſint.

SIGNA STUPRI NONNATURALIS.

Huc reponi poteſt *Pæderaſtia*, ſeu ſtuprum turpiſſimum, quod maſculus cum maſculo nefande exercet. Qui hoc abominabile crimen committit *Pædicator*, & qui actum patitur Cinædus, vel ſi fœmina eſt, Cinæda vocatur. **

Signa *Pæderaſtiæ* ex morbis penis, ut ſigna *Cinædi* ex morbis ani, & inteſtini recti deprompta valde ſunt fallacia, cum harum partium mor-

---

* Examinandam habui puellam undecim annorum, quam juvenis 20. annorum prehenſis cruribus ſurſum tenuerat, & alius violentare illam potuerit. Juveni vulvam cruentam, maculas in induſio cruentas, hymen autem integerrimum. Hinc ſtuprum pro *attentato* declarabam; cruentatio a ſola frictione vulvæ fuit.

** *Cel.* Stolzenberg *diſſ. in pædicatorem noxium, & infeſtum rei publicæ civem. Trajecti ad Viadrum.* 1775.

bi, nempe excoriatio, intertrigo, inflammatio, inteſtini recti prolapſus, fiſſuræ, vel excreſcentiæ circa anum in Cinædo, & veſiculæ cryſtallinæ, phymoſis vel paraphymoſis in pædicatore etiam ab aliis morbis ortum habere poſſint.

Signa *coitus beſtialis*, adhuc minus evidentia ſunt, quam pæderaſtiæ. Utrumque vitium ergo, niſi delinquens in ipſo criminis actu deprehendatur, vix ex ſignis phyſicis determinari ſe ſinit.

SIGNA ÆTATIS.

ÆTATEM hominis eruere neceſſarium eſt. *

1. Si infans *expoſitus*, vel mortuis parentibus *relictus* inveniatur, qui ſuam ætatem ignorat.
2. Si juvenis ſuæ ætatis inſcius *hæreditate* frui, aut *monaſterium* inire cupit. Requiritur enim pro his finibus, ut *majorenis* ſit.
3. Si juvenis, vel puella ſuæ ætatis inſcia *matrimonium* inire petit, ad hoc enim *pubertas* exigitur.
4. Si *cadaver* cujusdam hominis ignoti reperiatur.
5. Si ex hominis *abſentia* dici debeat, an vivus adhuc, vel mortuus jam cenſendus ſit.

Hominis vita raro ultra 70 annos durare ſolet, quamvis ad 100. & ultra perdurare poſſit. Ergo homo

* *Cel.* PLOUCQUET *vom menſchlichen Alter, und den davon abhangenden Rechten. Tübingen.* 1779.

non

non ultra hanc ætatem provectus mortuus cenſeri nequit.

Conſuetum vitæ humanæ ſtadium in VII. periodos, dividitur.

1. *INFANTIA* eſt ætas, quæ a partu ad ſeptimum annum durat, ſeu a nativitate ad mutationem dentium extenditur.

Signa. Infans mox a partu expoſitus noſcitur funiculo umbilicali, vel nondum deciduo, vel umbilico non conſolidato. In cadavere talis infantis, nec foramen ovale ſepti auricularum cordis, nec vaſa umbilicalia abolita inveniuntur. Infanti 6 vel 7 menſium primi dentes erumpunt. Secundo, vel tertio anno perfecta eſt dentitio prima. Primo anno elapſo incipit infans loqui, altero ambulare.

2. *PUERITIA* a 7 ad 14 annum, ſeu a dentitione ſecunda, ad pubertatem durat. *Noſcitur* hinc ex dentium mutatione; dentes enim ſecundarii a 9 ad 13 annum erumpunt.

3. *ADOLESCENTIA* a 14 ad 21, ſeu a pubertate ad barbam extenditur,

Signa adoleſcentis puberis ſunt pubes in genitalibus naſcens, vox gravior, barbæ proventus; erectio penis; pollutio nocturna, igniculus venereus.

Signa puellæ puberis ſunt mammarum incrementum; menſtruatio, deſiderium viri.

4. *JUVENTUS* a 21 ad 28 annum, ſeu a barba ad proventum dentium ſapientiæ durat. Hinc *noſcitur* barba.

5. *VIRILITAS* ab anno 28 ad 50, ſeu a dentibus ſapientiæ ad canitiem extenditur. *Noſcitur* dentibus ſapientiæ.

6. *SENECTUS* ab anno 50 ad 70 durat. *Noſcitur* canitie, & incipiente decremento virium. *Fœminis* menſtrua emanent.

7. *ÆTAS DECREPITA* ab anno 70 ad mortem extenditur. *Noſcitur* animi imbecillitate, & corporis fragilitate, tremore ſenili.

Hæc autem ætatum ſigna, vulgaria quidem, non autem infallibilia ſunt, cum ætatum mutationes pro temperamento, climate, ſexu, victu, morbis, animi affectibus, & aliis rebus mirum in modum accelerari, vel retardari ſoleant.

Sic etiam ex ſola *longitudine* corporis non certo ætas determinari poteſt. * Vulgo reputatur

longitudo recens nati infantis 18 pollicum.
——— infantis unius anni — $22\frac{1}{2}$ —
——— pueri decem annorum — $44\frac{1}{2}$ —
——— adoleſcentis 14 annorum — 55 —
——— juvenis 25 annorum — 64 —

* *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VIII. p. 818. in edit. germanica. Et *Mémoires des Savans étrangers.* T. II. p. 572.

SIGNA MORBI SIMULATI.

Ægrotos ſe fingere ſolent. *

1. *Mendici*, ut eleemoſinis publicis, vel privatis nutriantur.
2. Homines *otioſi*, qui labores fugiunt, aut ab *officio odioſo* liberari cupiunt.
3. Juvenes, qui *militiæ* nomen dare debent, & milites, qui *exauctorationem* quærunt.
4. Homines, qui ad *torturam*, *ſupplicium*, vel aliam pœnam damnantur; aut qui definito tempore *coram judice* comparere debent.
5. Homines ab aliis læſi noxam ſibi factam *augent*, ut mulctam obtineant majorem.
6. *Agyrtæ* morbos parvos ſæpe attolunt, ut majorem ſolutionem pro curatione exigere poſſint.
7. *Fanatici* demum, ac homines *fraudulenti* morbos ſimulant, ut miraculoſam curationem in illis contigiſſe dicere poſſint.

Frequentiſſimi, qui fingi ſolent morbi, ſunt ſequentes,

1. *Ulcera crurum.* Hæc ſibi plantis acribus, aut impoſito emplaſtro veſicatorio inducunt. *Noſcuntur* autem abſentia marginum induratorum, & facili ſanatione.

---

* *Cel.* Gansen *diſſ. de ſimulatis morbis, & quomodo eos dignoſcere liceat. Gœttingæ* 1769.

2. *Hydrocephalus.* Infanti vulnus exiguum ſub capillis in quadam capitis parte infligunt, tubulo aërem in celuloſam inflant, & dein vulnus emplaſtro tenaci obturant. *Detegitur* fraus invento, & ablato emplaſtro. *

3. *Hernia scrotalis.* Fingitur applicato ventre ovillo, aut veſica bovina ſcroto appenſa.

4. *Prolapsus intestini recti,* aut *uteri.* Inteſtinum bubulum ſpongia, lacte, & ſanguine madida repletum ano, vel vaginæ ſubdunt, & ſic appendunt.

5. *Gibbus*, qui pulvinaribus dorſo ſub veſtibus applicatis fingitur, facile detegitur corpore denudato.

6. *Claudicatio simulata.* Noſcitur abſentibus vitiis in articulationibus extremitatum inferiorum. Et ſedula attentione, an putatitius claudicans etiam extra hominum conſortium clau-

---

* *Cel.* Sauvages. *Noſol. method.* T. II. *p.* 497. Mendicus Pariſiis, ut pro monſtro ſuam prolem lactentem oſtenderet, & inde quæſtum ſibi faceret, cuſo foraminulo in ejus vertice intra cutem, & muſculos ope tubuli ſenſim quotidie aërem inflavit, & intra menſes aliquot, repetita operatione monſtroſam in molem nati ſui caput extendit, atque ſic per Galliam de oppido in oppidum viſendum exhibuit. Sceleratum hunc patrem Magiſtratus Pariſienſis morte mulctavit. Pneumatocelem artificioſam a mendico in ſimilem finem factam narrat Paræus.

dicet. Alii ad hanc ſimulationem adulterina quoque ex ligno brachia, & crura ſibi ſupponere norunt. *

7. *Pallor faciei* fuco ex pulvere cyprio cum exigua portione tutiæ, vel carbonis mixto inducitur. *Fraudem* detegit abterſio, & ablutio faciei.

8. *Icterus* ſucco curcumæ, aut croco in aqua diluto facies, & corporis ſuperficies illinita, ſimulatur. Ablutio corporis, albuginea oculi, & urina flavedine non tincta, fraudem facile declarant.

9. *Excretio calculi.* Lapillos ſiliceos, vel murarios urethræ, aut vaginæ immittunt, vel matulæ imponunt, ac ſub urinæ excretione admodum coram hominibus ejulent. **

Deceptio innoteſcit, cum tales calculi non animalis, ſed mineralis ſint indolis. ***

10. *Corpora heterogenea vomitu*, vel *alvo excreta.* Qui ſilices,

* *Cel.* Camerarii *Sylloge memorabilium medicinæ. Cent.* x. *Sect.* 67.

** *Recueil pour ſervir d'éclairciſſement détaillé ſur la maladie de la fille d'un tireur de pierres du village de S. Geoſmes près Langres, par* M. Morand. *Paris* 1754.

*** *Cel.* noſtri ævi chemici Scheele, & Bergman monſtraverunt calculos urinarios ex glutine animali, & acido ſacchari conſtare, atque vix centeſimam partem terræ continere.

acus, clavos ferreos, ranas, lacertas, aut vitra egerunt, hi deceptores ſunt pronuntiandi; cum talia corpora in noſtro corpore generari nequeant, ſed ſolummodo ingeruntur.

11. *Epilepsia simulata.* Sapone in os indito ſpumam formant, & artificioſo motu voluntario convulſiones epilepticas fingunt, at his ſub paroxysmo pupilla non dilatatur, & ab admoto candenti ferro membrum retrahunt.

12. *Mania simulata.* Difficillimum in medicina forenſi eſt judicium medici de ſano, vel morboſo mentis ſtatu. Seu Criterium, an delinquens eo tempore, quo crimen commiſit, ſanæ mentis fuerit compos.

Mania, Melancholia, & Fatuitas, quæ continua atque in magno gradu adeſt, et circa omnia objecta verſatur, facile quidem detegitur ex habitu corporis melancholico, vel cholerico, torvis oculis, hi homines verbis, & geſtibus contra rationem agunt; ſine pudore, ſine ſpe, ſine gaudio, ſine metu, quum legitimæ cauſæ offerantur, ſunt; & iterum præter rationem triſtes, vel hilares, aut metuentes, vel audentes evadunt. Violentas ſibi vel aliis manus inferre tentant, capillos evellunt, veſtimenta lacerant, ſummam frigoris, vigiliarum & quandoque famis patientiam cum ingenti virium robore tolerant. At

Mania, melancholia, aut fatuitas, quæ *periodice*, vel *erratice* recurrit, in *exiguo gradu* mentem

occupat, & circa *unicum* ſolummodo objectum verſatur valde difficulter detegitur. * Interim

Habitus cholericus, vel melancholicus corporis, prægreſſa cauſa, ſeu magnus animi affectus, morbusve melancholiam inducens, examen actionum mentalium ante commiſſum crimen peractarum, cauſa peracti criminis &c. hac in re lucem aliquam præſeferunt.

Mania, *melancholia*, *fatuitas ſimulata* ſupponuntur, ſi defectus habitus cholerici, vel melancholici, & nulla ante commiſſum crimen melancholica actio, ac executio criminis cum magna, & aſtuta deliberatione facta obſervetur. Si impatientia, frigoris, vigiliarum, & famis obſervetur &c.

13. *FEBRIS SIMULATA.* Faciem fuco rubro induere, ſitim, & calorem ſimulare, vinculis circum arterias, & venas fortius adſtrictis, imo aſſumptis internis medicamentis calefacientibus poſſe febrem ſimulari, dicitur. Hæc res ex fuco faciei, ex inventis vinculis, & pulſu naturali diſtinguitur.

14. *SURDITAS SIMULATA* noſcitur, ſi inſcio ſimulatore ex improviſo ſtrepitus excitetur.

---

* *Cel.* METZGERS *Gerichtlich-mediciniſche Beobachtungen Königsberg.* 2ter *Jahrgang.* S. 142. plures utiliſſimæ in hoc eximio opere occurrunt de dubio mentis ſtatu obſervationes.

Demum qui a nativitate ſurdi, hi ſunt etiam muti, & lamentabilem habent vocem.

15. *Amaurosis simulata* noſcitur, ſi pupilla mobilis, & non dilatata, ſi ſimulator obvia poſita obſtacula quando ſolus eſt, evitat.

16. *Paralisis simulata* noſcitur, ſi membrum non ſimul laxum, ſubfrigidum, & marcidum evadit.

17. *Hæmoptoe simulata.* Qua tuſſiendo ſanguinem e gingivis eductum ſputo reddunt. Alii bolum armenam aſſidue ſub lingua terendo ſputum inde rubro colore tingere ſolent.

18. *Vomitus cruentus simulatus.* Sunt, qui ſanguinem, bubulum* vel bolum armenam deglutiunt, & dein vomitu reddunt.

19. *Mictus cruentus simulatus.* Emiſſam urinam clam ſanguine animali miſcent. Alii ex eſu opuntiæ urinam ſibi cruentam reddere dicuntur.

20. *Menstrua simulata*, ſanguine bovillo, vel alio vulvam, & induſia maculant.

---

* Vomitum ſanguineum, quo per aliquot dies magnam cruoris copiam medico præſente rejecit puella in monaſterium miſſa, ſimulavit eum ad finem, ut monaſterio excedendi libertatem conſequeretur, compertum vero tandem eſt, eam quotidie clam ſanguinem bovillum, furtim ſibi allatum, hauſiſſe. *Cel.* Sauvages *Noſ. method.* T. II. p. 299.

Fraus abluitione vulvæ detegitur, & viſitatione vaginæ.

21. *ASCITES SIMULATA*, ſaccis ventri alligatis fingitur, hinc fraus viſitatione facile detegitur. *

SIGNA MORBI CELATI.

Morbi, qui ab hominibus frequenter celari, ſeu diſſimulari ſolent, & in quos medicus forenſis inquirere jubetur, ſunt:

---

* *Act. N. C.* Vol. II. Tab. V. *p.* 208. Argentorati vetula quædam, quum junior adhuc eſſet, & ob ventris tumorem in graviditatis ſuſpicionem perveniſſet, progreſſu temporis hinc liberata, ſpectaculum proſecuta eſt, tumoris molem nefario artificio ſenſim exagerando in ſuum commodum, ut ſtipem largiorem acciperet, otioque poſſet diffluere; ſicque univerſæ propemodum civitati per integros 39 annos impoſuit, ut etiam chirurgi, ac medici quidam, admiratione tam ſtupendi tumoris affecti, quodnam ille monſtrum contineret, ſcire aliquando deſiderantes obitum vetulæ vix exſpectare potuerint. Hic vero quum tandem eveniſſet, luſtrato corpore, nihil tumidi in ventre ejus ſe prodidit, in cubiculo vero ſaccus linteaminibus detritis, ac pannis fartus, & ſupra 19 libras ponderans reperiebatur, quem doloſa mulier adeo appoſite noverat ventri ſuo alligare, ut ſtupendum iſtum tumorem, quem prætextu pudoris per inſpectionem neutiquam violandi occultavit, per tam longum annorum ſpatium mentiretur.

1. *Morbi contagioſi*, quos homines celant, ne in noſocomia mittantur, aut a ſanis ſeparentur.
2. Morbi, qui ab ineundo *matrimonio* arcent.
3. Morbi, qui ad gerendum *officium*, vel munus obtinendum hominem reddunt ineptum.

Morbi *contagioſi*, qui infectorum ſeparationem a ſanis exigunt, ſunt

1. *Lues venerea*; hæc noſcitur maculis rubentibus, ſubcircularibus, duriuſculis, quæ in lue confirmata circa tempora, frontem, & thoracem effloreſcunt. Utplurimum ſimul ulcera lardacea faucium, tophi, condylomata, arthritis, & capitis dolor nocturnus ſimul adſunt.
2. *Scabies*, quæ puſtulis prurientibus, in digitorum interſtitiis primum erumpentibus noſcitur.
3. *Lepra*, quæ in noſtris regionibus vix viſibilis eſt, noſcitur tuberculis fungoſis induratis faciei, & totius corporis.
4. *Peſtis*. Hæc ſe prodit febre maligna, in qua bubones, vel carbunculi erumpunt. Peſte affectorum viſitatio in confiniis turciæ maxime obvenit. Hinc ibi Lazareta pro agendis quarantenis conſtituta ſunt.
5. *Febris putrida* noſcitur ingenti laſſitudine, manuum tremore, lingua, & dentibus lentore nigreſcente obſeſſis, ſenſuum internorum turbatione, calore parum aucto, petechiis &c. *

* *Cel.* LETTSOM. *Mediciniſche Nachrichten von dem allgemeinen Diſpenſatorio. Altenb.* 1777. p. 6.

6. *Diſſenteria putrida*, quæ ex fœtiſſima ſubcruenta, & torminoſa alvi dejectione frequenti & febre putrida comite noſcitur.
7. *Variolæ* noſcuntur papulis inflammatoriis, quæ ſpatio octo dierum in ſuppurationem, & in cruſtas demum abeunt, & cicatrices depreſſas in cute relinquunt.
8. *Morbilli* noſcuntnr ex papulis exiguis, confertis, vix eminentibus, & poſt tres dies in ſquamulas furfuraceas minimas abeuntibus.
9. *Tinea* ex cruſtis chronicis, ſiccis, viridi-flaveſcentibus, vel albido-cineritiis capillatæ partis capitis noſcitur.

De morbis, qui ab *ineundo matrimonio* arcent, vide capitulum de *impotentia virili*, & *ſterilitate muliebri.*

Morbi, qui ad *officia*, vel *munera* gerenda, vel obtinenda homines reddunt ineptos, ut imbecillitas mentis, difficultas auditus, debilitas viſus &c. facili tentamine noſcuntur.

Scroti laxitas cum faciei pallore debilitatis morboſæ eſt ſat generale morbi gravis, & febris ſignum.

SIGNA MORBI IMPUTATI.

Imputantur quandoque hominibus morbi, vel ex *odio*, vel ex fine *politico.*

1. *Liberi* paternæ hereditatis cupidi parentes quandoque pro imbecillibus, aut inſipientibus coram judice declarant.
2. *Neceſſarii*, qui hereditate excidunt, teſtatorem

eo quo ultimam conſignavit voluntatem, mente fuiſſe alienatum perhibent.

3. *Amici* autochirorum, homocidarum, aliove crimine reorum, delinquentes dicunt fuiſſe inſanientes.

4. *Lues venerea* quandoque innocentibus imputatur. *.

An morbus, qui imputatur, revera adſit, vel adfuerit a medico, vel chirurgo ex ſignis characteriſticis cujuslibet morbi erui debet.

Frequentiſſimus morbus imputatus eſt *mania periodica*, cujus ſigna vide in *morbis ſimulatis.*

Imputata impraegnatio ex tempore celebrati coitus in viro, & ex ſignis graviditatis in fœmina eruitur. An autem *puero*, aut *ſeni* impraegnatio puellæ imputata adſcribi poſſit, ſi de celebrato coitu convincantur; eruitur in *puero* ex pubertatis ſignis, & in *ſene* ex erectionis poſſibilitate adhuc præſenti. **

Imputata graviditas ex orificii uterini indole, & ſubſequente partu eruitur. Abdominis enim intumeſcentia, menſtruorum de-

---

* *Cel.* Alix *obſerv. chirurgic. faſc.* II. p. 63. gonorrhæa ex phymoſi non ſiphillitica pro venerea falſo habita.

** *Ill.* Halleri *Elem. Phyſ.* T. VII. p. 574. Puer decennis nutricem impraegnavit, & p. 575. Thomas Parre anno ætatis 120 uxorem duxit, cumque ea veneris juribus uſus eſt ad annum usque 140.

defectus, & lac in mammis præſens, incerta ſunt graviditatis ſigna, cum a ſola emanſione menſtruationis hæc ſymptomata viderim orta.

Imputatus partus, ex ſignis prægreſſi partus dijudicatur.

QUÆSTIONES MEDICO-LEGALES

EX

FORO CANONICO.

DE DIVORTIO GENERATIM.

Primarius matrimonii finis eſt procreatio ſobolis. Fines *ſecundarii* ſunt exſtinctio libidinis, & mutuum coadjutorium.

Hinc morbi procreationem ſobolis abſolute impedientes divortium exigunt.

At hi morbi eſſe debent,

1. *incurabiles*,
2. *ante matrimonium* jam contracti, &
3. — ——————— *celati*, ſeu *diſſimulati*.

Morbi autem *fines ſecundarios* impedientes, aut finem primarium impedientes quidem, at *du-*

rante matrimonio nati, vel ante matrimonium *non celati* noſtris ſaltem in regnis matrimonium non dirimunt.

Dirimitur autem matrimonium,

1. ob *ſterilitatem incurabilem* mulieris,
2. ob *impotentiam perfectam*, & *incurabilem* viri.

SIGNA STERILITATIS MULIEBRIS.

Viri *prolium cupidi*, demum viri a natura *valde ſalaces*, qui *coitum* ob vitium in muliere præſens exercere nequeunt, a foro canonico diremptionem matrimonii exigunt.

Hæc diremptio fit, ſi impedimentum *coitus*, aut *impraegnationis* adeſt, quod incurabile eſt, ante matrimonium contractum, & celatum invenitur.

Dividuntur ſterilitates muliebres

1. in *incurabiles*,
2. — *quandoque curabiles*,
3. — *relativas*,
4. — *incognitas*,
5. — *certo curabiles*.

1. Sterilitates *incurabiles*, quæ matrimonii diremptionem ſine omni dubio admittunt, ſunt,

   1. *Cancer genitalium*, nempe in vagina, vel uteri orificio. Nam coitus cum tali muliere ob morbi

communicationem eſſet periculoſiſſimus, & fere nunquam curabilis eſt, hinc exigit divortium integrum. Exiguum vero carcinoma in labio vulvæ poſſet exſtirpari.

2. *Enureſis vaginalis inveterata*, ſeu urinæ ſtillicidium, quod per fiſtulam ex veſica urinaria in vaginæ cavum deſtillat. Hoc vitium a coitu deterret, urinæ acrimonia auram ſeminalem corrumpit, & ſi malum eſt inveteratum fere nunquam curatur.

3. *Stercoreſis vaginalis*, ſeu fœcum inteſtinalium tranſitus per aperturam ex inteſtino recto in cavum vaginæ.

4. *Ruptura perinæi integri*, nempe usque in inteſtinum rectum.

5. *Concretio totalis vaginæ.* Hæc enim cultro tuto aperiri nequit.

6. *Defectus uteri.* Noſcitur 1. ex defectu menſtruorum, 2. ex vagina in ſuperiori reginone cœca, 3. ex defectu mammarum. *

7. *Morbus ovariorum.* Nempe ovariorum induratio vel hydrops; qui morbi quandoque tactu noſcuntur.

8. *Aetas decrepita & celata.*

2. *STERILITATES QUANDOQUE CURABILES.* In his fiat *ſeparatio ad thorum*, ut tempus cura-

* *Cel.* HILL *diſs. de utero deficiente. Pragæ.* 1777.

tioni poſſit adhiberi. Si curatio intra trienium non ſuccedit, tunc fiat *ſeparatio integra.*

1. *Prolapſus uteri* vel *vaginæ*, hi enim prolapſus ſi non nimis ſunt inveterati, quandoque curantur.

2. *Polypus uteri* vel *vaginæ.* Hi quandoque exſtirpationem admittunt.

3. *Hernia vaginæ*, etiam in hac curatio quandoque poſſibilis eſt.

4. *Menſtruatio deficiens.* Si hæc non pendeat ab uteri defectu, tunc curatio quandoque ſuccedit, imo dantur, quæ etſi nunquam menſtrius afficiantur, tamen concipiunt.

5. *Menorrhagia chronica.* Si non ab uteri cancro dependet, ſæpe uſu tincturæ cinamomi, & aliis remediis curatur.

6. *Leucorrhœa chronica.* Tales feminæ quandoque concipiunt, at utplurimum embrionem iterum abortu perdunt. Succedit tamen curatio in quibusdam.

7. *Uteri obliquitas.* In hoc caſu tentandum eſt, ut maritus ſitum pro coitu eligat, qui orificio obliquo reſpondet. *

* Celebris medicus caſum mihi narravit cujusdam mulieris, cui orificium uteri verſus oſſa pubis oblique locabatur, quæ coitu a matrito a poſteriori celebrato imprægnabatur & feliciter legitimo tempore peperit.

Orif-

8. *Orificium uterinum concretum.* Quandoque uterus a ſanguine menſtruo retento adeo in vaginam delabitur, ut cultro orificium uterinum concretum aperiri poſſit. *

9. *Anguſtia nimia vaginæ*, quæ tanta quandoque quidem eſt, ut membrum nullo modo poſſit vaginæ immitti. At obſervatio docuit has feminas tamen ab externa ſeminis affuſione fuiſſe impraegnatas, & vaginam tum quandoque durante graviditate, quandoque ſub partu ſe ſufficienter dilataſſe. * *

* *Cel.* BLOCH. *mediciniſche Bemerkungen. Berlin.* 1774. *S.* 22.

* * *Ill.* VAN SWIETEN *Com.* T. IV. p. 436. ex *Actis Pariſinis* talem narrat caſum. Fœminæ, quæ decimo ſexto ætatis anno nupſerat, vagina erat adeo anguſta, ut vix calamum admitteret. Fruſtra tentaverat juvenis, & validus maritus viam parare. Poſt undecim annos gravida invenitur, licet vagina æque arcta foret, ac ante. Verum circa quintum graviditatis menſem ſponte vagina incepit dilatari, atque circa finem graviditatis mulier feliciſſime peperit. Huic ſimilem caſum recenſet *Cel.* BENEVOLI *diſſertationi &c. e obſervationi* p. 86. Satis mirum exemplum recenſet de muliere, cujus vagina per totam ſuam longitudinem adeo arcta erat, ut magna cum difficultate calamum ſcriptorium mediocris magnitudinis capere potuiſſet: unde matrimonium, ante triennium jam contractum, cum conſummari non potuiſſet, irritum, ſecundum leges declarandum erat; jamque in procinctu erat termini ſtatuti finis. Egregius BENEVOLI vaginæ induxerat peſſarium ex radice gentia-

10. *induratio uteri.*

11. *laxitas uteri.*

12. *Denſitas uteri*, quæ ex temperie viraginea noſcitur.

13. *Irritabilitas nimia.*

14. *Pituitoſitas uteri.*

15. *Hydrops* vel *tymanites uteri.*

3. *STERILITATES CERTO CURABILES.*

1. *Hymen integer* vel *nimis tenax.* Poteſt inciſione hæc ſterilitatis cauſa, facillime tolli.

2. *Vaginæ concretio exigua.* Si non totalis vaginæ adeſt concretio, ſed modica ſolumodo tunc perſciſſio loci concreti certo vitium auffert.

3. *Nymphæ nimis longæ*, ſi hæ coitum viro impediunt, tunc decurtentur.

4. *Clitoris nimis magna.* Hæc abſciſſione exſtirpari poteſt.

5. *Hæmorrhoides vaginæ*, hæ quandoque coitum mulieri adeo dolorificum redunt, ut virum admittere nequeat.

---

næ paratum, ſenſim ac ſenſim autem peſſaria craſſiora ex ſpongia præparata. Poſt longum tempus ſpongiæ uſum intermiſit, literisque datis ad BENEVOLI mandavit ſe obtinuiſſe, quod ſperaverat. Caſum de femina cum ingenti anguſtia vaginæ impregnata ipſe vidi & deſcripſi in *Elementis Artis obſtetriciæ. Viennæ* 1781. p. 113. Docent hi tres caſus, magna prudentia opus eſſe, antequam ſtatuatur matrimonii conſummationem impoſſibilem eſſe ob nimiam anguſtiam partium genitalium in muliere.

4. *STERILITATES RELATIVÆ.*

Vaginæ anguſtia naturalis reſpectu viri nimis craſſo membro præditi, eſt cauſa relativa. Ut

Averſatio viri.

5. *STERILITATES INCOGNITÆ.* Hæ oriuntur a vitio in partibus genitalibus int ernis latente, hinc vita hæc non poſſunt determinari, ut

1. *Uterinæ cavitatis concretio totalis.*

2. *Ovariorum induratio* vel *defectus.*

3. *Tubarum fallopianarum concretio, obturatio,* ſunt *defectus.*

CAUSÆ, quæ *contracta ſponſalia* iterum dirimunt, ſi oriatur ante initum matrimonium

1. *impedimentum matrimonii ſterilis.*

2. Morbus *contagioſus*, lues venerea, cancer,

3. *Fœditas*, ut fœtor oris, defectus naſi, labiorum, tinea, gutta roſacea, tumor incurabilis, cicatrix turpis.

4. *Morbus gravis*, ut phthiſis, cœcitas, ſurditas, paralyſis, epilepſia, mania.

SIGNA IMPOTENTIÆ VIRILIS.

Prolium cupidæ mulieres, aut viro junctæ, qui cum illis *coire* non valet, divortium matrimonii a foro canonico petunt.

Impoſſibilitas penem erigendi, aut ſemen vaginæ mu-

liebri infundendi dicitur, generatim *Impotentia virilis.* *

Eſt vero hæc impotentia *quadruplex.*

1. *Impotentia penem erigendi*
2. ——— —— *applicandi*, etſi erigatur;
3. ——— *ſemen legitime emittendi*, etſi penis vaginæ applicari poſſit
4. ——— *ſemen prolificum conficiendi.*

Dividuntur denique impotentiæ viriles

1. in *incurabiles*, quæ a cauſa incurabili oriuntur.
2. — *quandoque curabiles*, quarum cauſæ quandoque auferri poſſunt.
3. — *relativas*, quando vir penem nimis magnum v. g pro virgine quidem, at non pro vidua, quæ ſæpius jam peperit, habet.
4. — *incognitas*, quarum cauſæ nullis ſignis innoteſcunt.

Impotentiæ *incurabiles*, jam ante matrimonium contractæ, & celatæ, exigunt diremptionem matrimonii.

Impotentiæ *quandoque curabiles* petunt tentamen curationis, hinc ſeparationem quoad thorum.

Impotentia *relativa* exigit ſeparationem a femina virginea; at novum matrimonium ſolummodo concedendum cum vidua, quæ jam peperit.

---

* *Cel.* PLOUCQUET *Uber die Erforderniſſe der Erbfähigkeit der Kinder. S.* 12.

In impotentiis *incognitis* ſententia eſt ſuſpendenda.

IMPOTENTIÆ ERECTIONIS INCURABILES, quæ diremptionem matrimonii exigunt, ſunt

1. *Penis paralyſis nativa.*

— — *a ſenio.*

— — *a ſeminis defectu* ob teſticulorum defectum qui ex ſcroti inſpectione patet, *teſtiscondi* enim ſemen emittunt.

— — *a morbo incurabili,*

IMPOTENTIÆ ERECTIONIS QUANDOQUE CURABILES, quæ ſeparationem ad thorum, & tempus pro curatione exigunt, ſunt:

1. *Atonia*, ſeu paralyſis imperfecta penis, quæ noſcitur ex imperfecta erectione, & ex nimis celeri collapſu ejusdem.
2. *atonia perfecta*, at *recens.* *

* *Cel.* CHAPTAL adoleſcentem antea ſalacem, jam ab aliquot annis ſenſus venerei, & erectionis incapacem, immerſo aliquoties pene intra decoctum ſeminis ſinapis integre curavit. Eodem dococto *Cel.* GESNER impotentiam trium annorum ſanavit. Vid. GESNERS *Sammlung aus der Arzneygelährheit.* v. B. 96. S. --- *Cel.* WEIKARD moſcho interne dato impotentiam trium annorum in homine vix non octogenario ammotam fuiſſe obſervavit. v. ejus *medicíniſche Schriften* I. St. 44. S. --- Impotentiam a nimis frequenti coitu, vel ab onania inductam alii & ego balneis frigidis & marte curarunt.

3. Atonia ab *odio* vel *averſatione* uxoris.

IMPOTENTIÆ APPLICATIONIS INCURABILES, quæ diremptionem petunt, ſunt

1. *Penis defectus.* vel nativus, vel morbo inductus.
2. —— *nimis brevis.*
3. —— *gracilis.*
4. —— *oſſificatus* vel *aculeatus.*
5. —— *duplex* & uterque ſe erigens.

IMPOTENTIÆ APPLICATIONIS QUANDOQUE CURABILES. In quibus curatio tentari poteſt, ſunt

1. *Penis ocultus* a *retractione* ſpontanea, ab *hernia* ſcrotali ab *obeſitate.*
2. —— *incurvatus* vel *tortuoſus.*

IMPOTENTIÆ APPLICATIONIS RELATIVÆ, ſunt

1. *Penis nimis craſſus.*
2. — — *longus.*
3. — *tortuoſus.*

IMPOTENTIÆ LEGITIMÆ EMISSIONIS SEMINIS INCURABILES.

1. *Emiſſio deficiens cognita* a teſticulorum amborum defectu, — induratione chronica — cancro — tabe — cirſoceli
2. *Emiſſio deficiens incognita*, cujus cauſa non patet ut veſicularum ſeminalium defectus — contractio — lapideſcentia — induratio.

vaſorum ſpermaticorum vitium

vaſa ejaculatoria concreta.

— ——— retrorſum aperta.

Vitium in capite verumontani.

IMPOTENTIÆ EMISSIONIS ſeminis *quandoque* curabiles

Emiſſio *ſeminis ſeroſi*, *mucoſi*, *gonorrhoici.*

Refluxus ſeminis in veſicam ab ulcere veſiculæ ſiminalis.

Diſpermatiſmus ſtillatitius — nimis *celer*, — nimis *tardus* -- *lateralis* — *epilepticus* — *hypertonicus.* *

Dantur denique etiam impotentiæ *putatitiæ*, & aliæ quæ *temporariæ* ſunt

Impotentiæ *putatitiæ*, quæ nempe falſo ſic fuere impotentiæ vocatæ, ſunt

Anaphrodiſia *magica*, quæ mere imaginaria eſt.

Urethra ad *latus* aperta. Cum hoc vitio enim multi viri generare valent. **

Urethra non nimis *brevis.*

Teſticuli in *abdomine reconditi.*

IMPOTENTIÆ temporaneæ ſeu quæ non conſtantes, ſed tranſitoriæ ſunt, ut

* *Ill.* SAUVAGES *Noſol. meth.* T. II. p. 405. & *Cel.* PLOUCQUET. l. c.

** *Ill.* HALLER *Anfangsgründe der Phiſiologie.* 7. B. 834. S.

Impotentia erectionis a *frigore* — *calore* — *debilitate* — *morbo interno* — *crapula* — *jejunio* — *animi affectu &c.*

SIGNA MONSTRI.

Monstrum humanum eſt fetus, cujus univerſum corpus vel quædam ejus pars a conſueta & naturali hominis forma haud parum recedit. *

Ad claſſem monſtrorum ergo pertinent infantes acephali, bicephali, ſemicephali, bicorporei, quadripedes &c.

Monſtra ab hominibus nata, quæ verum animal, ut canis, vel felis &c. vel ſua ſtructura & forma fuiſſe dicuntur, ad fabulas referuntur

Quæritur an monſtris vivis *anima* inſit.

an veri *homines* ſint.

an hominis vel animalis ſint *productum.*

Animam humanam monſtris ab homine natis ineſſe docet exercitium humanæ rationis, quod in his monſtris obſervatum fuit.

Originem monſtrorum humanorum eſſe ab hominibus docetur partu monſtri, quod a parentibus humanis naſcatur.

Nulla enim obſervatione demonſtrari poteſt, femi-

* *Ill.* Halleri *operum anatom. minor.* T. III. *De monſtris libri* II. p. 3.

nam humanam ab animali maſculo, aut animal femineum ab homine maſculo concepiſſe. *

Nec animalia *alterius generis* cum alio genere ſe propagant.

Hinc patet monſtra hominum non coitus beſtialis, ſed humani eſſe productum, igitur omni jure humano gaudere.

SIGNA SEXUS DUBII.

In *dubii ſexus* hominibus medicus forenſis ſexum tenetur determinare **

1. Ut antiſtes *nomen* in baptiſmo addere ſciat.
2. — pro ineundo *matrimonio* conveniens adhibeatur ſexus.
3. — inito matrimonio duorum hermaphroditorum ejusdem ſexus *divortium* fieri poſſit.
4. — *officium virile* vel *muliebre* adſignari poſſit.
5. — legitimus induatur *veſtitus.*

Eſt autem *Hermaphroditus*, homo, qui utriusque ſexus genitalia vel revera habet, vel habere videtur, hinc

Hermaphroditia eſt monſtroſitas genitalium, in

---

* *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VIII. §. 6. p. 9.

** *Ill.* HALLERI *operum anatom. argum. minorum* T. II. p. 9. *Num dentur hermaphroditi commentarius.* -- & *Cel.* ARNAUD *anatomiſch-chirurgiſche Abhandlung über die Hermaphroditen. Strasburg.* 1777.

quibus pars una membro virili & alia vulvæ muliebri ſimilis deprehenditur.

Hermaphroditorum tres dantur *ſpecies*.

1. *Hermaphroditus maſculinus*, ſeu *Androgynus* aut *Hypoſpadias*, qui præter partes genitales viriles, adhuc rimam, ſeu hiatum in perinæo habet.

2. *Hermaphroditus femininus*, ſeu *Androgyna*, quæ præter partes genitales femininas, adhuc clitoridem adeo elongatam habet, ut penem virilem referat.

3. *Hermaphroditus verus*, qui revera utriusque ſexus genitalia habet.

Signa hermaphroditi masculini, ſeu maris ex rima in perinæo diformis, ſunt

1. *Penis major*, majoribus *corporibus cavernoſis*, cum pene in *eadem directione* poſitis, inſtructus; *Præputio*, ſuperius & inferius obductus. In pueris nulla venere uſis hoc perpetuum eſt; in clitoride autem inferius nihil præputio ſimile reperitur.

2. *Froenulum*, quod præputium cum glande jungit.

3. *Rima in perinæo* absque hymene eſt, nec profunda, nec lata, per hanc ſtilus ſubeuns in *veſicam* ducit, nullum autem orificium uterinum, offendit. In hac porro rima, neque ſub urethra neque ad anum aſperitas columnarum vaginæ tangi poteſt.

4. Veneris *cupido in feminas. Seminis emiſſio* ex pene. *Teſticuli* & *vaſa ſpermatica* ſuis per cutem nodulis conſpicua.

5. Facies *hirſuta, barba* robuſta, ani ambitus *piloſus.*

6. Menſura *humerorum* latior, *femorum* anguſtior.

7. *Mammæ* nullæ vel exiguæ.

Signa hermaphroditi feminini ſunt

1. *Clitoridis* moles minor; ſitus corporum cavernoſorum ſuper vulvam horizontalis (hic quidem difficilius tangitur) & *figura* teres. *Meatu urinario* utplurimum carens; ſemel tamen urinam per clitoridem exiviſſe viſum fuit.

2. *Præputium* inferius ſemper imperfectum. *Frœnulum* præputii nullum; ſed ejus loco deſcendentes de clitoride nymphæ, in quas & præputium & glans finditur.

3. Porro *hymen* in juniori femina, & *vaginæ* duæ columnæ *rimam* vulvæ obſident. Et iter in rima duplex, unum ad veſicam ducens, quod minus eſt, alterum quod majus, ad uterum, cujus orificum tangere oportet, ex quo *imprimis* feminam veram adgnoſcimus.

Si talis puella ſimul *atreta* foret, tunc eam adultam retenti menſes declarabunt, qui membranam diſtendent, qua vagina clauditur.

3. *Glabrities* ac *mollities* corporis.

5. *Genæ* leves ac ani ambitus *non piloſus. Mammæ* in thorace.

6. *Menſtruorum fluxus* ex rima. *Cupido* in viros.

7. Defectus *teſticulorum* & vaſorum ſpermaticorum.

8. *Femorum* menſura latior quam *humerorum.*

Sed in *teneris puellis* hæc ſigna adhuc deſunt; hinc extra teſticulorum abſentiam, & clitoridis prolongationem vix ſignum habetur.

SIGNA HERMAPHRODITI VERI ſunt, ſi primaria utriusque ſexus organa commiſta in uno homine ſimul obſerventur. Nempe *uterus* & *ovarium*, *teſtis* atque *penis.*

Ex fidiſſimis enim hiſtoriis apparet non penitus repugnare, ut aliquando uterque ſexus in uno homine miſceri poſſit. *

* *Ill.* HALLER l. c. p. 26. & *Cel.* MARRET in *Mémoires de l'Acad. de Dijon.* T. II. accuratam dedit anatomen hominis veri omnino ut videtur hermaphroditi, cui teſtis fuit & veſicula ſeminalis & vagina & uterus & tuba & ovarium. Huic ergo androgyno alterum latus maris, alterum feminæ fuit. p. 650. — *Cel.* F. PETIT *Mémoires de l'Académie roy. des ſciences.* 1720. *hiſt.* 2. *p.* 29. deſcripſit militem, cui teſtes, epididymis, proſtata, veſiculæ ſeminales in abdomine fuerunt, cum utero in urethram patente & tubis. — A COLUMBO p. 111. androgyna, cui uterus cum cervice, cum urethra muliebri, ſed una penis fuit, & duo deferentia vaſa, bipartita, quorum

Ex his ergo patet

1. Androgynos *imprægnare* potuiſſe mulierem.

2. *Androgynas* vero ſua clitoride cum muliere coire quidem, at imprægnare non valere; at a viro alio imprægnari poſſe.

3. De Androgynis autem *veris* utrumque eſſe poſſibile.

4. Simul fabulæ explicatio innoteſcit, quomodo puella in puerum, & puer in puellam operatione chirurgica, vel ætate mutari potuerit.

5. Atrocem & iniquiſſimam fuiſſe veterum legem, quæ homines dubii ſexus, quos ipſa natura jam ſeverius tractavit, cum morte puniebat.

SIGNA DÆMONIÆ.

Qui dæmonem in corpore gerit, vel gerere creditur, *dæmoniacus* ſeu *dæmone obſeſſus* vocatur.

Quatuor dantur dæmoniæ *ſpecies*. Vera, ſimulata, imaginaria, imputata.

1. *DÆMONIA VERA.* Olim homines quosdam *ſummi* NUMINIS permiſſu a dæmone fuiſſe obſeſſos, ex ſancto Evangelio conſtat.

An autem etiam poſt CHRISTI, Salvatoris noſtri

---

utrinque unum ad uterum alterum ad penis radicem ibat, ut ſolum per penem ſemen, absque urina efflueret, absque ſcroto tamen, diſſecta fuit.

mortem, dæmon hominum corpora obſidendi poteſtatem habeat, a *theologis* quæri debet. *

Signa, quæ hominem a diabolo revera eſſe obſeſſum, docent, ſequentia eſſe dicuntur.

1. Si obſeſſus ad inſperſionem aquæ luſtralis, vel invocationem nominis Jesu, vel applicationem hoſtiæ conſecratæ ſemper & crudeliter in furorem, vel convulſiones agatur; quamvis rem applicatam nec videat, nec ſciat.

2. Si obſeſſus res agat, quæ *vires naturales* tum hominis tum aliorum corporum phiſicorum ſuperat. Ut ſi ſciat, quid eo quo interrogatur tempore in locis ocultis, vel remotis agatur. Si omnium nationum linguas, quas nunquam didicit, intelligat & loqui ſciat. &c.

Credo paucos impoſterum inveniri veros obſeſſos, ſi viri docti, intrepidi, ac omni præjudicio vacui cum ſumma cautione in obſeſſos inquirant.

2. *DÆMONIA SIMULATA.* Nefarii ac otioſi homines quandoque ex malitia, aut magnæ eleemoſinæ obtinendæ ſpe, aut ex pia fraude, vel alio fine pollitico ſe diabolo obſeſſos fingunt.

Hi impoſtores clanculum aliquot verba ex variis linquis diſcunt, miras convulſiones & clamores ad adplicationem aquæ luſtralis, vel rei ſacræ

---

* Sanctus ATHANASIUS dicit p. ultima ſui operis: *ex quo tempore verbum Dei apparuit ſpectra hujusmodi & ludibria ceſſarunt.*

exercent. Arte diſcunt ſine oris labiorum motu loqui * ut vulgus credat dæmonem ex illis loqui. Ex aliis hominibus cum obſeſſo ſe cointelligentibus ſciunt, quid in locis remotis peragatur, ſic quandoque futura vaticinantur. Homines cointelligentes obſeſſum res horrendas, & vires naturæ ſuperantes præſtitiſſe narrant, & ſæpe juramento teſtantur. Obſeſſi demum variis artibus coram hominibus ſtupidis artificia mira, at naturalia producunt.

At fraus obſeſſionis facile detegitur, ſi obſeſſus ad aquam non luſtratam, aut hoſtiam non conſecratam convellatur vel furat. Si ad dicendum, quid examinator cogitet, ſi ad rem viribus naturæ factu inpoſſibilem peragendam adſtringatur.

3. *DÆMONIA IMAGINARIA.* Dantur homines hypochondriaci, melancholici, maniaci, feminæ hyſtericæ vel verminoſi infantes, qui a plebe obſeſſi eſſe creduntur, & qui ipſi ſe dæmone eſſe obſeſſos delirant. Hi torqueri ſe ſinerent potius, quam dicere ſe non eſſe obſeſſos. In his ægrotis mira & ſæpe vix explicanda, aptis medi-

---

* *Cel. de la* CHAPELLE *le Ventriloque, ou l'engaſtromythe. Paris.* 1772. *Vol.* 2. Ventriloquorum hiſtoriolas examinat. Ut imponant colloquentibus, qui vocem eminus a dextris aut ſiniſtris pro arbitrio ventriloqui advenire ſibi perſuadeant. Robur in muſculis faucium hæc ars requirit, quo engaſtromythus eas claudat, & vocem edat, aëre reſervato in poſteriori parte oris.

camentis tamen profliganda, apparent phœnomena. *

Facile autem hæc dæmoniæ ſpecies detegitur ex ſignis morbi præſentis, & abſentia ſignorum dæmoniæ veræ.

4. *DÆMONIA IMPUTATA.* Quandoque delirantes ex febre, vel maniaci veri, qui phænomena exhibent, vel non explicanda, vel rariſſime videnda a plebe non ſolum, ſed etiam a credulis ſacerdotibus & ſimilibus medicis pro obſeſſis declarabantur. Quandoque demum *ex odio* quibusdam hominibus obſeſſio diabolica adſcribebatur.

Hæc ſpecies ut prior detegitur.

Dæmoniaci *veri* ſi dentur, ſacerdotibus, ** *ſimulati* carceribus, *imaginarii* morotrophio tradantur

SIGNA MAGIÆ.

Homines dari, qui mediante pacto, quod cum diabolo ineunt, res ſupernaturales præſtare poſſe, diu nimis creditum fuit. ***

---

* *Cel.* SAUVAGES *Noſol. method.* T. II. p. 262.

** *Je conſeille au diable.* dicit *Cel.* VOLTAIRE, *de s' adreſſer toujours aux facultês de théologie & jamais aux facultés de Médecine.*

*** *Cel.* EBERHARDS *Abhandl. von phyſikaliſchen Aberglauben und der Magie.* Halle 1768. qui egregie refellit *Cel.* HAENII *librum de Magia. Lipſiæ* 1774.

Tales

Tales vetulæ dicebantur *Sagæ*; viri autem *Magi* vel *Faſcinatores* aut *Præſtigiatores* vocabantur. *

Poteſt vero magia ut dæmonia in equentes *ſpecies* redigi.

1. *MAGIA VERA.* An homo cum diabolo aut ille cum homine pactum inire poſſit, quo diabulus homini ſubſcripto omnia peragit quæ ab illo jubetur, determinent theologi ex ſacro codice & ex factis omni dubio carentibus.

Signa veræ magiæ cenſentur, ſi homo impius peragat res ſupernaturales. De qua ſpecie hodeidum merito dubitatur.

Natatio ſpontanea feminæ flumini ſubmerſæ nihil pro magia probat. * *

* *Cel.* SAUVAGES *Noſ. meth.* T. II. p. 260. Huc pertinent illæ vetulæ, quæ faſcino recens nuptos ligare, morbo infantulos tum afficere tum liberare ſe poſſe imaginabantur. Paſtores qui ſe ſuoſque arietes cum ridiculis ceremoniis dæmoni devovent, ut gregem reſiduum a lupis eripiant, ut monetam volantem ſeu inamiſſibilem obtineant. Quæ omnia in faſcinatis & faſcinantibus ſunt vera deliramenta.

* * De hominibus naturaliter in aqua innatantibus vide *Philoſ. Tranſact. Vol.* I. P. I. p. 42. Aliqui homines æquali cum aqua pondere fuerunt. Multi etiam leviores. Inde plurimi homines in aquam conjecti, etiam ligati natarunt. *Cauſes célébres.* T. XII. p. 179. & 180. Mirum eſt phœnomenon a *Cel.* POMME adnotatum, hyſtericas feminas in balneo innatare, dum

2. *MAGIA SIMULATA.* Impoſtores quandoque ut credulorum hominum crumenas emulgeant, variis artificiis naturalibus ut obſeſſi ſimulati ſe faſcinatores eſſe oſtentant.

Alii demum ſimulant ſe faſcinatos fuiſſe. Acus, crines, vitra, aliaſve res vomitu vel alvo vel abſceſſu * excernunt.

Hæc ſpecies exigit ingenii acuti examinatorem, ut fraus detegatur.

3. *MAGIA ARTIFICIALIS.* Nefarii homines ex plantis phantaſtico-narcoticis linimenta componunt, quibus ſibi & aliis tempora vel anum vel genitalia inungunt, aut his partibus imponunt. Inuncti ex his unquentis ſopore profundo ac inſomniis laſcivis atque miris prehenduntur; evanida vi venenata evigilant ac inſomnia ſua revera contigiſſe firmiter credunt, adeo quidem ut juramento, tortura, imo & morte magiæ veritatem teſtentur. * *

---

in ſpaſmodico paroxyſmo verſantur, eo finito mergi. p. 29. 444.

* *Cel.* BRAMBILLA *Abh. von der Phlegmone und ihren Ausgängen.* Wien 1775. 1. Th. 179. S. — & in *Journal de Médecine* T. VI. *Cel.* BOUCHER de puella, cui paſſim ex corporis ſuperficie acus exciſæ ſunt. — *Journal de Médecine* T. XLI. de fraudulento ranarum partu.

** Certum eſt dicit *Cel.* SAUVAGES *Noſol. meth.* T. II. p. 260. quod oleum ex ſeminibus daturæ elicitum & temporibus illitum, vel peſſarium podici noctu

His venenis demum ac aliis artificiis inducunt hominibus varios morbos, quos vulgus *faſcinatos* appellat. *

Noſcitur magia artificialis ex examine corporis delicti.

4. *Magia imaginaria.* Delirantes ac maniaci ſe faſcinatos eſſe adeo firmiter quandoque credunt, ut omnem reſpuant medicinam, & ſub torturæ doloribus ſe faſciatos eſſe edicant. Imo ut in ſuppliciis contra ipſos olim decerni ſolitis, id ad ultimum vitæ ſpiritum affirmaverint. **

5. *Magia imputata* hæc ſanis hominibus

---

inditum ſomnia phantaſtica *prædiſpoſitis* excitent. Simili peſſario ex ſeminibus ſtramonii & ſebo Paſtor Gallo - provincialis, referente Gassendo, ſe muniebat cubitum iturus qualibet die Sabbati, unde ſomniabat ſe ad impurum dæmonum cætum via camini deveniſſe, & ibi hirco præſidi litaſſe.

* Nebulo vinum radice belladonæ miſcebat & convictoribus ad prandium confidentibus bibendum porigebat. Hoſpites omnes qui inde bibebant, maxillarum tetano corripiebantur, cibos aſpiciebant, iis autem veſci nequibant. V. *Celeber.* Gmelin *Abhandl. von den giftigen Gewächſen, welche in Deutſchl. wild wachſen. Ulm.* 1775. p. 122. & 215. Idem ſpaſmus maxillæ a radice cicutæ aquaticæ obſervatus fuit a Cel. Wepfer. V. *lib. de cicuta aquatica.*

** *Act. med. Berol. Decad.* I. vol. IV. & in *Ephem. N. C.* paſſim.

ex ſuperſtitione *vel pia fraude vel alio fine politico affingitur. * *

Sedula indagatione hæc & prior ſpecies facile detegitur.

---

* In ſola Lotharingia ſæculo XVI. nongentos homines ſub ſortilegii titulo intra quindecim annos concrematos fuiſſe, quaſi re bene geſta gloriatus eſt NIC. REMIGIUS Ducis Lotharingiæ a conſiliis intimis in tribus *de Dæmonolatria libris. Francofurti* A. 1679 editis. -- *Cel. Pater* SPEE Jeſuita, qui per plures annos diſponendis ad mortem mulierculis imputatæ magiæ reis qua confeſſarius adhibitus fuit, dicit. Ego id cum juramento depono, me quidem nullam hactenus ad rogum duxiſſe, de qua omnibus conſideratis prudenter ſtatuere potuerim, illam fuiſſe ream; vide libellum ſub titulo *Cautio criminalis de proceſſibus contra ſagas Dub.* XX.

* * Celebris eſt hiſtoria Urſulinarum Lauduni apud Pictones quam Illuſtris SAUVAGES his verbis refert. Monachi hujus urbis oderant Parochum URBANUM GRANDIER, virum paulo elatioris animi, & dotibus tum animi tum corporis ſuperbientem; illi has religioſas induxerunt, ut aſſererent ſe a GRANDIERO faſcinatas, & ejus afflatu diabolum ſeſcepiſſe: quid non religio potuit ſuadere, maxime ſi cum amore repulſo ad hunc perdendum Parochum & Magnatum & Monachorum invidia conſpiraverint; eo demum devenit furor, ut igne damnatus ſit parochus, atque cum Sacerdos impius, qui eum ad ſupplicium deducebat, crucifixum ferreum candentem oſculandum huic miſero præberet, is renuentis Parochi metus pro ſignis diabolicæ poſſeſſionis plebi venditabat.

SIGNA SPECTRI.

An hominum mortuorum animæ, vel dæmon vel alia entia incorporea hominibus apparere vel viſibilia reddi poſſint, theologorum & pſychologorum eſt probare. *

Spectra vero quæ *fraudis* artificioſæ aut phantaſticæ *imaginationis* ſunt proles ſedulæ indagationi pateſcunt.

Idem de *vampiris* ſeu ſpectris, quæ hominibus mortuis & vivis quibusdam cruorem de nocte exſugere dicuntur, cenſendum eſt. **

SIGNA MIRACULI.

In medicina legali de morborum curationibus *mira-*

* *Cel.* HENNINGS *von Geiſtern und Geiſterſehern. Leipſig.* 1780. & ejusdem *Abh. von den Ahndungen und Viſionen.*

** *Ill.* HALLERUS *opuſc. pathol. Lauſanæ* 1768. p. 121. dicit: ſanguinem ex ore cadaverum acutis & exanthematicis morbis exſtinctarum, ſponte quaſi pullulaſſe ſæpe vidi. Hæc eſt origo celebratæ nuper fabulæ Vampyrorum, quæ ex Hungaria a Cæſareis imprimis militibus, per univerſam Europam propagata eſt. Homines nempe & quam maxime puerperæ, morbis acutis exſtinctæ, nimis brevi a morte tempore ſepulchro commiſſæ, ut ſolent in calidis regionibus, ſanguine ſpumoſo os obductum habere repertæ ſint, reliqua imaginatio addidit. Cauſam non aliam invenio præter expanſionem aëris elaſtici, in pulmone con-

culoſis non raro agitatur ſermo, hinc veri miraculi ſigna perſcrutari medicum oportet. *

Poſſunt autem miracula trifariam dividi nempe in miracula *vera*, in *putatitia*, in *ficta*.

1. *Miraculum verum.* Curatio morbi vel aliud factum, quod vires naturæ ſuperat, dicitur miraculum. Difficile autem eſt quandoque dicere an factum vel curatio morbi naturæ vires ſuperet, cum ultimas virium naturalium limites adhuc ignoremus

In *evidentibus* vero miraculis, ut ſi ulcus cancroſum intra unicum temporis minutum curaretur; ſi homo utroque oculi bulbo deſtructo clare tamen videret, ac ſic porro, nullum dubium de miraculo vero pronuntiando remaneret.

---

tenti, qui ſanguinem, quo id viſcus, in fine morborum funeſtiorum, undique obruitur, ruptis teneris vaſculis, ſurſum expellit, ad aliquam ſpumantium liquorum fermentatorum ſimilitudinem. Vide etiam *Ill.* Van Swieten *Anmerkungen uber die vorgegebene Zauberey der Abgeſtorbenen oder Magia poſthuma.* Quæ pulcherrimæ magni viri animadverſiones adnexæ inveniuntur libro cui titulus *Abhandlung des Daſeyns der Geſpenſter nebſt einem Anhange von Vampyrismus. Augsburg.* 1768.

* *Cel.* Haen *liber de miraculis. Francf.* 1776.

Incorruptibilitas cadaveris ſola ſine prægreſſa vitæ ſanctitate & peractis miraculis, quo ad rem & quo ad teſtes indubiis, non eſt *ſanctitatis ſignum.* *

2. *MIRACULUM PUTATITIUM.* Eſt morbi inſanabilis vel lethalis a plebe vel medente ignorante habiti ſubitanea curatio per vires naturales.

Surditas, ** amauroſis *** aphonia **** ſubito curata, dolor ſubito evaneſcens, ***** aut longe to-

---

* *Von der Unverweslichkeit der Körper in der Erde* vide *Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften. VII. Theil. S.* 348.

** *Cel.* TRNKA *Hiſtoria cophoſeos. Vindob.* 1778. *p.* 165.

*** *Cel.* BEHRENS *de imaginario quodam miraculo in gravi oculorum morbo, eademque ſpontanea & fortuita ſanatione. Brunſvic.* 1734. & *Cel.* TRNKA *Hiſtoria amauroſeos. Vind.* 1781. *p.* 667. & 670.

**** *Cel.* AURRAN *diſp. Elinguis feminæ loquela. Argentorati* 1667. A variolis lingua & ipſi muſculi gloſſopharingei deſtructi ut tamen loquelæ uſus non ſit amiſſus.

***** *Schreiben von einem Wunder ſo ſich in Ruen zugetragen, da ein Heiliger ein beſchädigtes Knie im Traume geſund gemacht haben ſoll.* vid in *Hamburgiſchen. Magazin* 25. Band. 2. St. — *Von einem gewiſſen Manne, welcher viele Jahre lang ſtumm geweſen und endlich durch einem Traum wieder zu ſeiner Sprache gekommen,* vid *Hamburg. Magazin* 6. *B.* 1. *St.* 95. *S.* De aliis miraculis putatitiis vide BUCHNERS *miſcell. phyſ. med. mathem.* v. J. 1730. *Erf.* 1734. *S.* 1008. — *Ephem. N. C.* in *append.* primi anni 3. dec. 35–84. p. — *Breslauer Samlungen.* 18. *Verſ. oct.* 1721. cl. IV. Art. 11.

lerata inedia * frequenter miracula putabantur.

Signa ſunt: 1. ſi vires naturæ adſignari poſſint, etſi hodierna phyſices ac medicinæ luce multa phenomena morborum ac curationum nondum penitus explicare valeamus.

2. Si curatio *lente* ac *imperfecte* ſuccedit, aut ſi morbi *riditus* obſervetur.

3. *Miraculum fictum.* Fanatici quandoque ex pia fraude aut ſanctitatis ambitione; impoſtores fine politico, mendici pro largiori eleemoſina obtinenda miracula varia fingunt. Diu nempe ſe claudicandes vel cœcos vel ſurdos vel mutos coram hominibus ſe ſimulant, demum in templis vel aliis locis publicis ſubito ſe ſanatos alta voce & fictis lachrymis exclamant.

Noſcitur & detegitur fraus ex examine ſedulo morbi prægreſſi ut de *morbis ſimulatis* diximus.

SIGNA OBJECTI PRO BAPTISMATE.

Cum baptiſmus ſoli corpori humano animato conveniat. Hinc quæritur an fetus *immaturus*, an fe-

* Diutiſſimarum ſine miraculo toleratarum inediarum exempla collegit *Ill.* HALLERUS. *Elem. Phyſ.* T. VI. p. 168. — *Cel.* VOLTELEN *diatribe medica memorabilem ſeptennis apoſitiæ hiſtoriam exhibens. Lugduni Batav.* 1777. & anonimi *Stoff zu Betrachtungen für Naturforſcher.*

tus *monſtroſus* vel an fetus *aſphyctus* ſacro fonte debeat ablui.

1. *Baptismus Fetus immaturi.* Fetum eo momento, quo in ovulo muliebri concipitur, animari, docet phyſiologia. Hinc quocunque menſe poſt conceptionem ovulum impregnatum in quo fetus etiam minimus invenitur vivus, ex utero abeat, baptiſmus eſt dandus. *

2. *Baptismus Fetus monstrosi.* Animam humanam *monſtris humanis* ineſſe docet exercitium ratiocinii, quod in his obſervatum fuit. Hinc monſtra ſacro baptiſmate conſpergi debere patet.

3. *Baptismus fetus bicephali et monocorporei.* Fetus *bicephalus* & *monocorporeus* duplicem habet animam, cum duplicem habeat voluntatem, quæ animæ duplicis ſignum eſt; hinc ſingulum caput talis fetus peculiari baptiſmate eſt conſpergendum. **

---

* *Cel.* Cangiamila *Embryologia ſacra, ſeu de officio ſacerdotum & medicorum circa æternam parvulorum in utero exiſtentium ſalutem Palermo.* 1745. Fetum 20. diei vixiſſe. Neglectum fetum trimeſtrem altero die vivere viſum. Vitam minimam absque vitæ ſignis conſpicuis ſæpe ſupereſſe exemplis docet.

** Id hiſtoria duarum ſororum concretarum, ſæpius ſecum diſceptantium, docuit; quæ *Szony* in Hugaria naſcebantur, & 21. annos concretæ vivebant. Vide *Cel.* Linne *vollſtändiges Naturſyſtem. Nürnberg* 1773. *Theil. I. S.* 105.

4. *Baptismus fetus bicorporei*, & *monocephali*. De fetu *bicorporeo*, & *monocephalo* nullum ſupereſt dubium, caput debere ſolum baptiſari. *

5. *Baptismus fetus acephali*, vel *semicephali*. In tali fetu latet cerebrum quandoque, vel in collo, vel in thorace, vel ſola medulla ſpinalis forſan pro animæ ſede, & vitæ exercitio ſufficit. Hinc ſi fetus acephalus vivus naſcitur, ſacro baptiſmate affici poteſt. **

6. *Baptismus molæ*. Si mola in ſe fetum contineat vivum, tunc ille eſt baptiſandus. Molæ vero non imprægnatæ baptiſmo non ſunt conſpergendæ.

7. *Baptismus hermaphroditi*. Si verus adeſt hermaphroditus ſemel tamen ſolum-

---

* *Ill.* Hallerus *Briefe über einige Einwürfe nochlebender Freygeiſter wider die Offenbarung. Bern* 1775. *Theil I. S.* 274. dicit : Allerdings wohnt die Seele an einer eingeſchrankten Stelle, einzig im Kopfe : blos die Verletzungen, und die Krankheiten des Gehirns, und auch nur eines Theiles dieſes Gehirns, hindern ihr Denken, ihr Urtheilen, ihre Geſchäfte : auch das Rükenmark, das doch ein Theil des Gehirns iſt, hat keinen Antheil daran, ſeine Verletzungen benehmen der Seele den Verſtand, das Bewuſtſein, das Gedächtnus nicht.

** *Ill.* Halleri *El. Phyſiol.* T. IV. §. 39. in acephalis ſæpe latere cerebrum ſub tumore.

modo baptiſandus, cum unicus eſt homo. *Ambiguus* hermaphroditus, aut infans cui *genitalia deſunt* eſſentiam baptiſmi non mutat, hæc enim in imponendo nomine non conſiſtit.

8. *BAPTISMUS FETUS ASPHYCTI.* Fetui apparenter mortuo, ſi ſigna evidentis putredinis abſunt, baptiſmum ſub conditione, ſi vivat, largiri convenit.

9. *BAPTISMUS FETUS ADHUC IN UTERO MATRIS HÆRENTIS.* Si fetus vita adhuc ſub partu periclitetur, tunc pars quælibet infantis ipſius in vagina, vel uteri orificio obvia ſyringæ ope aqua baptismali conſpergatur. Etiam *funiculum umbilicalem* in caſu neceſſitatis, non vero placentam, aut ovum membranaceum fetus baptiſare licet. Matre mortua eſt fetus operatione cæſarea eximendus, ut baptiſmo conſpergi poſſit.

QUÆSTIONES MEDICO-FORENSES EX FORO POLITICO.

DE POLITIA MEDICINALI GENERATIM.

Scientia rem medicinalem in re publica bene ordinandi *Politia medicinalis* dicitur. *

Notitia ſubſidiorum, quibus vita, ſanitas, & populatio civium incolumis ſervari, & amiſſa reparari queat, *objectum* hujus diſciplinæ eſt.

Medicorum hinc eſt conſilia dare, quibus res publica medicinalis optime inſtruenda ſit. *Principis* eſt ex conſiliis medicinalibus leges condere, quibus ſalus publica commodiſſime obtineatur. *Magiſtratus politici* eſt vigilare, ut leges, & ſubſidia medicinalia optime ſerventur.

Forum politicum ideo medicum, ac chirurgum ingredi debere, ſua ſponte patet.

Ingentis utilitatis eſt, quam res medicinalis rite conſtituta rei publicæ præſtat. **

* *Cel.* Frank *Syſtem einer vollſtändigen mediciniſchen Policey. Mannheim.* 1779. 2. *Bände.* & *Cel.* Baumer *fundamenta Politiæ medicæ. Francf. & Lipſiæ* 1777.

** *Cel.* Rikmann *von dem Einflus der Arzneywiſſenſchaft auf das Wohl des Staats, und den beſten Mitteln zur Rettung des Lebens. Iena* 1771.

CURA MAGISTRATUS IN CONSERVANDA SANITATE PUBLICA.

Primariæ *cauſæ morbificæ*, quæ ſanitatem civium lædunt, & populares ſæpe morbos progenerant, ſunt *.

Inſalubritas aeris — victus — potus — habitationum — demum animi affectus — conſuetudines nocivæ — praxis empyricorum & contagium morborum contagioſorum.

1. *Insalubritas aeris*. Aer maximam partem ſuo calore, frigore, humiditate, aut putriditate nocet.

Calor æſtivus nimius *domibus* altius exſtructis, quæ plateas umbroſas reddunt; *arboretis*, quibus itinerantium viæ ſunt ordinandæ; *pluviis artificialibus*, ſeu irrigatione, qua plateæ ſunt conſpergendæ, moderatur.

Frigus hyemale ædificiis altioribus præſertim e regione, qua ventus auſtrinus flare ſolet, ac procuratione lignorum, levi prætio, & ſufficienti copia habendorum, bono civium veſtitu, atque habitatione congrua multum arcetur.

Humiditas aeris, quæ a paludibus, ſeu ſtagnis, ædificiis humilioribus, ſubterraneis, aut muris e lapide humido exſtructis oritur, præcavetur, ſi

* *Cel.* Arnold *diſſ. de removendis ſanitatis publicæ impedimentis. Lipſiæ* 1771 — & *Cel.* Liebing *diſſ. de amoliendis ſanitatis publicæ impedimentis. Lipſiæ* 1771.

Aquæ ſtagnantes aquæductibus deriventur e civitatis vicinia. Si ædificatio humiliorum domuum interdicatur; ſi lapides murarii humidi in ædificiis evitentur.

Putriditas aëris, quæ exhallationem putridam pro cauſa habet, emendatur ablata exhallatione. Hinc

Cadavera hominum non diu publice in cubilibus præſertim calidis exponenda. Poſſent usque ad ſepulturæ tempus in cæmeteriis, aut ſacellis bene aëre perflatis exponi.

Sepultura cadaverum in templis, aut circa civitatis mœnia penitus interdicatur. Cæmeteria exſtruantur in locis a civitate ſat diſſitis, aëre bene perflatis, arboribus, quæ putredinem abſorbent, & corrigunt, hinc inde circumvalatis, ac adeo locatis, ut putridæ cadaverum exhallationes e cæmeterio cum ventis in civitatem redire nequeant.

Cadavera animalium mortuorum illico ab excoriatore publico e civitate aufferantur, & profunde ſepeliantur. De loco *excoriaturæ* idem; ac de cœmenteriis notandum eſt.

Noſocomia extra civitatem in loco ſano, aëri expoſito, a civitate aliquantum diſſito erigantur.

Opificia artificum, qui fœtore inſalubri, aut exhallationibus noxiis aërem inquinant, ut coriarii, ſaponarii, plumbarii, laniarii &c. extra civitatis mœnia ſuas habeant officinas.

Sorditas cubilium, lutum platearum, domuum ut

fimus animalium, ſtabulorum &c. ſæpius auffe-
rantur.

Cloacæ domuum adeo conſtruantur, ut ſuis aperturis fœtorem non deferant in cubilia, ſed ut fœces ductibus ſubterraneis devehantur extra civitatem.

Aquæ ſtagnantes intra, vel prope civitatem aquæductibus deriventur in aquas fluentes, vel exſiccentur. *Exundatio aquæ* impediatur, loca ab aquis exundantibus conſpurcata diligenter purgentur. Omnes enim hucusque recenſitæ cauſæ febrem putridam incendunt, & alunt.

2. *INSALUBRITAS VICTUS. Inopia*, aut *mala* ciborum *conditio* morbos procreat populares.

Annonæ penuria inſtructis promptuariis publicis evitari, & præveniri poteſt.

Ciborum male conſtitutorum *venditio* prohibeatur; hinc peritus *nundinarum cibalium inſpector* conſtituatur, cujus officium ſit examen eſculentorum, & potulentorum.

Animalia mactanda ſint ſana, & recentia. Animalium morbidorum, vel morbis interemptorum carnes, aut carnes jam vetuſtate corruptæ, ut & piſces mortui, præſertim jam fœtentes, neutiquam a laniis, ſalſamentariis, & piſcatoribus venuum exponantur.

Farinæ cereales, ipſa *cerealia*, & *legumina* non ſint corrupta, vel immatura, vel necrotica, vel corniculata.

Olera venum expoſita non ſint inſectis conſpurcata, corrupta, aut plantis venenatis intermixta. Paſtinacæ radix loco petroſellini quandoque divenditur.

Fructus horæi, ſi ex ſpecie æſtivorum ſunt, eſſe debent maturi.

Fungorum venditio, niſi examinatorum a nundinarum inſpectore ſub gravi pœna interdicatur.

Demum *mala ciborum præparatio*, & conſervatio ciborum in *vaſis cupreis*, vel *plumbeis* male, vel impuro ſtanno obductis diligenti inſpectione facile evitentur. *

3. *INSALUBRITAS POTUS.* Hic enim qualitate noxia non minus, ut cibi noxii morbos populares inferre valet.

Aqua communis puteorum, qui in loco bibitur, ſit pura, lympida, heterogeneis noxiis libera. Id examine chemio Phyſicus loci indaget.

---


* *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſ.* T. VIII. p. 194. in *addendis* dicit: cum paſſim cupri in vaſis culinariis mali effectus ſoleant, aut negari, aut minui, ecce exempla. Ab ea cauſa omnes in cœnobio monachi exſtincti BOVIO *flagell.* p. 23. Sic in orphanotrophio ab eadem cauſa tormina, & vomitus epidemicus *Gal. Minerv.* V. p. 118. — vomitus perpetuus, cardialgia, inflammatio abdominis, & mors IGNAT. VARI. A Butyro in cupreo vaſe ſervato dyſenteria *Gal. Minerv.* V. p. 115. Variæ inde noxæ SCHULZE *mors in olla* n. 9. 10. BUCHNER *vaſorum ſtaneorum* &c.

Aqua

a mettre dans plenck.

Mem. sur les hopitaux
de paris par Mr. Tenon.

L'hopital des enfants trouvés fondé en
1670 a reçu
~~Annuellement~~ annuellement pend. les 10
1eres années de sa fondation 31
annuellement depuis 1740 315
~~en 1741 a~~ 3380
Le nombre croissant toujours
des ~~années~~ entrées annuelle en 1772 a 7676
depuis il a été de 5 a 6 mille par an.
Il y a dans paris 48 maisons de charité
où l'on prend soin journellement de 6,236
malades 14,105 valides et de 15,000 enfants
au total 35,341 qui sur 660,000
~~[illegible]~~ habitants de paris forme 1/18 de la
population a la charge de la charité publique
ce nombre est au moins doublé par celui ~~que~~
des personnes secourues par les aumones
des paroisses et par la bienfaisance des particuliers
qui forme 1/9 de la population



Aqua *aere putrido* referta, vel *vermibus* ſcatens, vel *plumbeis tubis*, quibus advehitur, venenata, pro partu non adhibeatur.

Cereviſia ſit bene defæcata, cum nullis plantis noxiis, vel inebriantibus condita, & nondum aceſcens.

Vinum ſit bene fermentatum, antiquum, nullo plumbo, vel alia re noxia mangoniſatum. V. *venena*.

Abuſus vini cremati difficultetur. Multis enim morbis hicce obnoxios reddit cives. Idem de abuſu potus *coffeæ*, & *theæ* notandum eſt, qui multorum morborum nervoſorum cauſæ ſunt.

4. *Insalubritas habitationum*. *Domus humiliores*, terræ nimium immerſæ incolis humiditate nocent, hinc elevatæ magis a terra ædificentur.

Ædificia, in quæ magnus populi confluxus fieri ſolet, ut eccleſiæ, noſocomia, ſcholæ, theatra, &c. ſint ampla, multis feneſtris, ac pluribus portis inſtructa, ne aer hominum reſpiratione corruptus hominibus noceat, & ut incendio oborto facilis hominibus ſit exitus.

Ergaſtula carcerum non minus puro aere indigent.

5. *Animi adfectus*. Terror publicus v. g. de ingruente peſte, aut morbo contagioſo interdicatur. Talis enim terror cives plus reddit contagio ſuſcipiendo aptos. Sic terror in feſto Ni-

colai multis infantibus epilepſiam, & alios cauſavit morbos.

6. *Corporum irruentium vis.* Sic *canes rabidi* circumvagantes occidantur. — *Ædificia*, vel *pontes* ruinæ proxima reficiantur — *Rixationes* puniantur — *Sclopetorum* exploſiones — *curruum vectionum*, vel *equitationum* nimia celeritas in locis valde populoſis — *animalium* ferocium, vel cornigerorum circumvagatio — *pulveris pirii* in loco aperto adſervatio — *ignis* non incluſi circumgeſtio juxta res valde inflammabiles ſeveris legibus interdicatur. *Prædones* viarum capiantur — *Maniaci* in morodochio cuſtodiantur.

7. *Consuetudines noxiæ.* Quæ ſanitatis, vel vitæ periculum inducunt, interdicantur.

8. *Luxus*, quo populus effeminatur, & morboſus redditur, omni modo difficultetur. *

9. *Praxis empyricorum.* Hi enim incongrua medicatione ſæpiſſime ex levibus morbis graviſſimos cauſant, & plures cives ex ignorantia vel audacia necant, hinc his praxis interdicatur.

CURA MAGISTRATUS TEMPORE MORBI CONTAGIOSI.

Morborum illorum, qui ſuo contagio totas quando-

* De luxu, ut cauſa morborum legiſſe juvabit *Cel.* Süssmilch *göttliche Ordnung in den Veränderungen des menſchlichen Geſchlechts. Cap.* 17.

que regiones devaſtare ſolent, ingreſſus, vel progreſſus a magiſtratu politicis diſpoſitionibus eſt arcendus.

Dividuntur autem morbi contagioſi,

in *acutos*, quos peſtis, febris putrida, diſſenteria putrida, variolæ, & morbilli conſtituunt.

in *chronicos*, ad quos lues venerea, ſcabies, lepra, cancer, rabies canina refertur.

1. *Prophylaxis a contagio peſtifero.* Ne peſtis in locum ſanum ingrediatur, opus eſt, *

1. ut *circumvallatio urbis infectæ* ad diſtantiam ſatis magnam ab urbe fiat, & cuſtodibus, qui cavent, ne quis clanculum aufugiat, muniatur.

2. *Advenientes* a locis infectis per 30, vel 40 dies *cuſtodiæ* ſubjiciantur; hoc tempore elapſo exitus ſanis e domo cuſtodiæ permittatur.

3. Qui per provincias peſtis tempore iter faciunt, teſtimoniis ſanitatis inſtructi eſſe debent.

Ubi vero morbus peſtilentialis domum, vel plateam, vel vicum, vel urbem, vel provinciam quandam jam intravit, tunc, ut ejus progreſſus inhibeatur, ſanis omne commercium cum infectis eſt interdicendum, & occludendum, ideo

---

* *Collectanea ſocietatis medicæ havnienſis.* Vol. I. *Cel.* Bang *de prophilaxi a contagiis.* p. 178.

1. Exſtruantur *noſodochia* ſaltem ad milliaris diſtantiam ab aliis locis, illuc ſtatim peſte infecti adportentur. Hoc præſertim noctu fiat, ne præſentes in plateis terrori, & contagionis periculo ſubjiciantur. Ex morbo *reconvaleſcentes* per aliquod tempus ante permiſſum cum ſanis commercium in cuſtodia teneantur.

2. *Mortui* noctu efferantur, & in alta terra, ſine ſuperſtrata cadaveribus calce viva, defodiantur.

3. Conſtituantur *medici*, *chirurgi*, *infirmarii*, *ſacerdotes*, qui pro victu, medicamentis accuratione affectorum curam gerant, & ægrotos a ſanis ſeparent, ac ſanis *normam* impreſſam, qua ſe contra peſtem muniant, præſcribant.

2. *Prophylaxis a contagio febris putridæ* conſiſtit in ſola ſeparatione ægroti a ſanis.

3. *Prophylaxis a contagio diſſenterico.* Cum fœces putridæ diſſentericorum miaſma contagioſum foveant, hinc hæ fœces removeantur adeo, ut ſani illas inſpirare nequeant.

4. *Prophylaxis a contagio varioloſo, & morbilloſo* exigit, ut illi, qui hos morbos nondum ſunt paſſi, arceantur ab ægrotis.

5. *Prophylaxis a contagio venereo.* Optima prophylaxis a malo venereo eſt abſtinentia a bono venereo. Ægroti lue ſyphilitica in privatis domibus ſoli dormiant in lecto,

ſi vero multum infecti ſint, tunc ad *noſocomium venereorum* mittantur.

6. *Prophylaxis a contagio scabioso.* Hoc avertitur fugiendo contactum infectorum nec non illorum veſtimentorum, & lectorum. In orphanotropheis, noſocomiis, carceribus &c. in quibus ſcabies morbus eſt endemius ſcabioſis ægris propria aſſignentur cubilia. Veſtimenta illorum probe laventur, & vapore ſulphureo perfumentur.

7. *Prophylaxis a contagio leproso.* Hoc contagium in noſtris terris rariſſime obſervatur, & propagatio ejus per ſolam generationem & lactationem, rarius per attractum contingit, exigit tamen ſeparationem ægrotorum a ſanis.

8. *Prophylaxis a contagio rabioso.* Ut a morſu animalium rabidorum caveri poſſit, eorum libera circumvagatio legibus prohibeatur, & animalia rabida illico occidantur. De ipſa morſorum medela vide *chirurgiam.*

CURA MAGISTRATUS PRO CIVIBUS ÆGROTIS.

Ut civium ſanitas amiſſa iterum reſtituatur curam habeat magiſtratus, ut reconvaleſcendi ſubſidia in promptu ſint.

Subsidia reconvalescendi vero ſunt,

1. Periti *medici.* Hinc talibus ſolummodo jus praxim exercendi detur, qui a bona univerſitate factis

rigoroſis examinibus doctoratus lauream legitime obtinuerunt.

2. *CHIRURGI PERITI.* Etiam talibus ſolummodo praxeos exercitium admittatur, qui ſua ſtudia in bene inſtructa univerſitate abſolverunt, ac peractis examinibus rigoroſis diploma doctoratus chirurgici, vel magiſterii chirurgici legitime acceperunt.

3. *PHARMACOPŒI PERITI.* Qui nempe abſoluto tirocino pharmaceutico curſum pharmaceuticum, chemicum, botanicum, & hiſtoriæ naturalis in bene inſtructa univerſitate audiverunt, ac rigoroſum de his ſcientiis examen coram facultate medica ſubiverunt.

4. *PHARMACOPOLIA LEGITIME INSTRUCTA.* Hinc in civitatibus, vel medica facultas, vel phyſici civitatis omni anno bis, vel ter inſciis pharmacopœis viſitent pharmacopolia, an omnia præſcripta ſimplicia, præparata, & compoſita in ſufficienti quantitate, & qualitate adſint.

Ut pharmacopœi ſciant, quid in pharmacopoliis ſuis habere, & quo prætio medicamenta vendere teneantur, *Pharmacopœa provincialis cum taxa medicamentorum* proſtare debet.

5. *OBSTETRICES PERITÆ.* Talibus ſolum facultas exercendi praxim detur, quæ curſum theoreticum in univerſitate audiverunt, ac dein praxim in domo obſtetricia publica viderunt. Atque tan-

dem facto examine rigoroſo diploma artis obſtetriciæ obtinuerunt.

6. *Infirmarii*, & *infirmariæ* pro ægrotorum ſervitu bene inſtructæ, dexteritate, & ſobrietate pollentes. * *Monachi*, & *Moniales* hoc opus charitatis in ſe ſuſcipere poſſent.

7. *Nosocomia pro ægrotis pauperibus*. In eo non ſolum ægroti pauperes gratis ſuſcipiantur, ſed etiam tales, qui pro ſolutione in eo decumbere, & curari cupiunt.

Hæc vero noſocomia ſint bene inſtructa, pura, in loco congruo ſita, idoneis lectis, cubilibus largis, bono victu, optimis medicamentis, peritis medicis, chirurgis, & infirmariis proviſa.

Monaſteria aptiſſime pro noſocomiis adhiberi poſſunt. Fratrum, & ſororum miſericordiæ monaſteria in qualibet civitate majori inſtrui poſſent.

CURA MAGISTRATUS PRO ACCIDENTALITER ASPHYCTIS.

Ne homines, qui medicis, & chirurgis abſentibus appoplexia, ſuffocatione, vel aſphyxia, ſeu morte apparente affecti, ex defectu reſuſcitationis revera moriantur lex eſt a magiſtratu ſtatuenda, quæ

1. illos *punit*, qui tali aſphycto non ſuccurrunt,

* Cel. Strack *ſermo academicus de cuſtodia ægrorum. Francof.* 1779.

2. illos *præmio* ornat, qui aſphycto vitam reſuſcitant,

3. *normam* præſcribit, qua methodo reſuſcitationis pericula adhiberi debeant, donec medicus adveniat.

4. quæ *ſepulturam* aſphyctorum, tam diu prohibeat, usque dum fœtore cadaveroſo mors in dubium vocari nequeat.

Primariæ aſphyxiarum *ſpecies*, quæ a cauſa externa, & medicis utplurimum abſentibus contingunt, ſunt *

1. *ASPHYXIA SUBMERSORUM.* Hæc exigit, ut ſubmerſus,

1. ociſſime ex aqua prudenter *extrahatur*,

2. veſtimentis madidis exutis, in aere temperato *ſtragulis tepidis*, capite pectoreque elevato imponatur, & diverſimode *moveatur* capitis ſitu nequaquam mutato.

3. Mox *vena jugularis*, vel frontalis, vel temporalis, vel his vaſis ſanguinem quandoque nimis parce fundentibus vena in brachio larga inciſione aperiatur.

4. Eximatur *mucus* tenax, qui oris, nariumque cavum occludere ſolet.

---

* *Cel.* HENSLER *Anzeige der hauptſächlichſten Rettungs-Mittel derer die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden ſind. Altona* 1770.

5. Homo vegetus *ſpiritum* ſuum forti inflatione, & naribus ægroti clauſis in ſuffocati pulmones repetitis vicibus inflet.

6. Inteſtinorum autem actio *fumo tabaci* in anum immiſſo ſuſcitanda eſt, adhibita ſimul lenta, & continua *ventris contrectatione.*

7. Si aeri per os inflato obſtaculum quoddam, ut ſpaſmus vel aliud occurrat, illi *tracheotomia* inſtituta, infletur aer per vulnus tracheæ.

8. Tandem denique corpus pannis calidis, aſperis, vapore ſtimulante impraegnatis confricetur.

Non convenit ſubmerſis narium fauciumque irritatio, quæ mediante digito, plumma, fumo tabaci, vomitorio, vel ſale alcalino volatili peragitur, niſi encephalus, pulmoque a ſanguine non amplius compreſſi turgeant. *

Renaſcentibus autem functionibus vitalibus major caloris gradus in corpus tranſmittatur lavatione acetoſa, vinoſa, ſpirituoſa, aquoſa calida, vel arena, ſale, cineribus, ſtragulis calidis, balneo calido.

Reſtituta facultate deglutiendi lenta vini calidi, vel alius cardiaci inſtillatione refocilletur reſuſcitatus.

2. *ASPHYXIA LAQUEO STRANGULATORUM* exigit, ut ſuſpenſus

* *Cel.* CALLISEN *inſtitutiones chirurgiæ modernæ p.* 277.

1. *laqueo*, quam citiſſime tranſciſſo dimittatur in terram.

2. In aere frigido omni *veſtimentorum ſtrictura* liberetur.

3. *Venæſectio* inſtituatur in vena jugulari.

4. Caput, ut ſanguis in encephalo ſtagnans repellatur, *aqua frigidiſſima* lavetur, & fomentetur.

5. *Enemata irritantia* ex ſale, & ſquilla injiciantur.

6. *Spiritus ſalis ammoniaci cauſticus* naribus admoveatur, & pulmonibus inſletur.

Reliqua excitantia, quæ congeſtionem ſanguinis in encephalum augere valent, ſuſpenſa manu adhibere tutius eſt.

3. *ASPHYXIA AERE FIXO SUFFOCATORUM.* Medela miſerorum, qui in cellari halitu *muſti* fermentantis, vel in loco *cereviſiæ* fermentantis, aut in cubiculo recluſo carbonum gliſceſcentium odore, vel fodinarum vapore ſuffocantur, exigit, ut

1. illico in locum *auræ puræ* frigidæ deportentur, atque capite elevato, & maxillis diductis exponantur,

2. ut *aqua frigida* adpergantur,

3. ut *ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus* naribus admoveatur, & pulmonibus inſletur.

4. ut Guttulæ x. vel 12. ori infundantur cum pauca aqua. *

---

* *Cel.* SAGE *Erfahrungen das der flüſſige Salmiakgeiſt das wirkſamſte Mittel ſey erſtickte wieder zu erwecken. Strasburg.* 1778. *p.* 27.

4. *Asphyxia fulmine tactorum.* His ſyſtema nerveum torpet, & encephalon ſanguine turget, hinc medela exigit, ut fiat

1. *Venæſectio* in collo, vel brachio.

2. Ablutio, & fomentatio capitis cum *aqua frigidiſſima.*

3. *Spiritus ſalis ammoniaci* naribus admovendus, pulmonibus inflandus.

4. *Enemata acria* ano injicienda.

5. *Asphyxia congelatorum.* Hi omnium aſphyctorum diutiſſime vivunt, & facillime reſtituuntur. Cavendum eſt maxime, ne congelati cubiculo calido inferantur, inde enim illorum mors redditur certa. Illorum reſuſcitatio exigit,

1. ut totum corpus excepto ore, & naribus *nive* operiatur, vel *balneo frigido* immittatur, aut ut magnis linteaminibus aqua frigidiſſima madidis involvatur.

2. Si vitæ ſigna redeant, ut in *lectum*, at non excalefactum reponatur, tandem per gradus excalefactio major corpori applicetur.

3. Excitantia, ut *vinum calidum* interne faucibus inſtillentur.

6. *Asphyxia a commotione cerebri.* Qui a lapſu, vel alia violentia externa aſphycti redduntur, his

1. *Venæſectio* inſtituatur.

2. *Fomentatio frigida* capiti applicetur.

3. *Enema irritans* ano injiciatur.

4. Redeunte vita *infuſum arnicæ* propinetur.

7. *ASPHYXIA A COMPRESSIONE CORPORIS.* Adulti ab irruente ædificio, infantes ab incubitu dormientis nutricis compreſſi, & aſphyxi, eadem methodo ſunt refocillandi.

8. *ASPHYXIA A CORPORE HETEROGENEO IN TRACHEAM DEGLUTITO.* *Medela* exigit, ut corpus heterogeneum in faucibus vel trachea hærens,

1. *tuſſi*, vel *vomitu* digito, vel plumma oleo illita, & faucibus intruſa excitetur,

2. ut *forcipe*, vel *balena*, vel *digitis*, ſi poſſibile e faucibus eximatur, vel

3. ut ſi corpus heterogeneum hæreat in trachea, *tracheotomia* inſtituta eximatur.

9. *ASPHYXIA NEOPHYTORUM* exigit, ſi neonatus in facie *liveſcat*, ut ex abſciſſo *funiculo umbilicali* ſanguis ad unciam unam, vel duas emittatur, & caput aqua frigida lavetur.

Si vero infans in facie ſit pallidus emiſſio ſanguinis noceret, at prodeſt

1. *Ablutio* in balneo aquoſo calido cum vino mixto.

2. *Inflatio* pulmonum cum aere dephlogiſticato.*

---

* *Cel.* ACHARD in *Mémoires nouveaux de l'Académie de Berlin pour l'année* 1778. inflationem aeris dephlogiſticati

3. *Spiritus ſalis ammoniaci* naribus admovendus, & ejusdem.

4. Guttulæ quædam aqua dilutæ faucibus inſtillandæ.

5. *Faucium purgatio* a muco rimam glottidis obducente ope digiti, qua irritatione ſimul ſæpe *vomitus* excitatur.

6. *Enema* ſalinum ano injiciendum.

CURA MAGISTRATUS PRO MATRIMONIUM INEUNTIBUS.

Ut rei publicæ ſani, & ſufficientes ſuccreſcant ex matrimoniis cives, prohibeat magiſtratus, ne matrimonium ineant

1. *Puellæ*, quæ 18 ætatis annum nondum expleverunt. Nam gravidæ nimis juvenes, nimis facile abortiunt, aut teneras pariunt proles, quæ brevi iterum moriuntur. *

2. Virgines *ſteriles*, aut morbo hereditario incurabili laborantes, ne morbus in miſeras propagetur proles. * *

ſuadet, cum aër e pulmonibus eflatus ſit mephiticus. Aër mephiticus per nitrum fuſum tranſiens ſuo phlogiſto privatur, hinc talis inflandus.

* Cel. FRANK *Syſtem einer mediciniſchen Polizey.* 1. B. *Von zu frühen Ehen.* S. 225.

* * Idem l. c. p. 297. *Von ungeſunden Ehen*, & p. 375. *von der ehelichen Fruchtbarkeit, und einigen phyſiſchen Hinderniſſen derſelben.*

3. Fœminæ ultra 50. *annum* jam profectæ. Rarius enim hæ adhuc concipiunt, etſi juveni marito junctæ. *

4. Juvenes ante 22 annum, ne tabe dorſali pereant, aut nimis debiles generent proles. Juvenes vero *rurales* ante 25. annum matrimonium non ineant.

5. Viri ex ſenio, vel alia cauſa *impotentes*, aut morbo hæreditario incurabili laborantes.

Demum a *cœlibatu* diſpenſentur ſacerdotes, moniales, milites, & alii, qui continentiam obſervare nequeunt, aut quibus continentia morbos periculoſos parit. **

Prohibeantur *lupanaria*, ne homines lue venerea, vel tabe dorſali inficiantur, aut matrimonium ideo negligunt. ***

CURA MAGISTRATUS PRO AUGENDA POPULATIONE.

Cum regni cujuslibet ſolo fertili gaudentis felicitas, ſecuritas, potentia, & divitiæ a multitudine incolarum ſanorum pendeant, hinc ſumma Principis, & magiſtratus ſit cura, ut incolarum numerus perpetuo increſcat.

---

* Idem l. c. p. 269. *von zu ſpäten, und ungleichen Ehen.*

** Idem. l. c. *von dem geiſtlichen Cölibatleben* S. 139. *vom Cölibatleben der Kriegsleute* S. 211.

*** Idem l. c. p. *vom weltichen Cölibatleben* S. 182.

Id obtinetur amotis cauſis *depopulationis*, ac promotis ſubſidiis *populationis.*

CAUSÆ depopulationis.

1. *MORTALITAS HOMINUM NATURALIS.* Homo inter longæviſſima animalium eſt,* & ad 100. annos facile ex ſui corporis fabrica pertingit, ni violentia externa aut morbus caſu ſuperveniens illum rapit. *Naturalem mortalitatem evitare* in hominum potentia non eſt.

2, *MORTALITAS HOMINUM PRÆTERNATURALIS.* Hæc tanta eſt ut ex morbis *ſporodicis* 37^{mus} circiter moriatur. Ex *epidemicis* $\frac{2}{9}$, ex *contagioſis acutis* $\frac{2}{3}$ ** imo ex *peſte* quandoque dimidium incolarum rapitur. Ex *chronicis* $\frac{70}{229}$. *Præternaturalem mortalitatem* hominum politica magiſtratus cura, & indefeſſum ſtudium medentium, præmio excitandum, multum evitare valent.

3. *MORTALITAS NEONATORUM.* Intra primum annum ex 1000. neonatis 260. mortui ſunt, altero 80. tertio 40. quarto 24. interierunt, & intra primos 8 annos pene dimidia pars generis humani periit. Ab anno decimo ad 29. parcius moriuntur homines. Cum educationis infantum mala methodus, & inpertia mulierum,

* *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſ.* T. VIII. p. 95. in libro XXX.

** HALLERI *Elem. Phyſ.* T. VIII. lib. XXX. p. 102.

quæ infantibus medentur hujus mortalitatis cauſa eſt, hinc hæc a magiſtratu tollenda.

4. *MATRIMONIA NIMIS PAUCA.* Ob cœlibatum ſacerdotum, monialium, militum, famulorum & aliorum quibus matrimonium interdictum, vel incommodum, vel ob paupertatem nimis onerofum. Hinc concubinatus, & lupanaria prohibenda, caſſa pauperum pro uxoratis adornanda.

5. *EMIGRATIO INCOLARUM.* Hæc auctis viis panem lucrandi; benigno regimine ſubditorum; interdictione emigrationis &c. impeditur. *Exteri* privilegiis peculiaribus invitandi.

6. *BELLA CRUENTA.* Horum evitatio non ſemper in Principis poteſtate eſt, at morbi caſtrenſes, & vulnerum lethalitas multum impediri poſſunt, ſi princeps curam habeat, ut *medicina*, & *chirurgia militaris* in optimo ſtatu ſemper conſtituatur. Nam defectus peritorum chirurgorum caſtrenſium plures milites, quam gladius, & pulvis pyrius mactat.

7. *VITA LUXURIOSA.* Cum hæc innumeros creet morbos, cives effeminet, aut interimat, hinc a magiſtratu inhibenda.

8. *PAUPERTAS INCOLARUM MULTORUM.* Hæc enim ut luxus plurimorum morbo-

---

* *Cel.* GRAUNT *obſerv. on the bills of mortalit.* p. 22. & *Ill.* HALLER l. c. p. 700.

rum

rum mater eſt. Hinc pauperes ex caſſa pauperum ſublevandi.

9. *Toleratio empyricorum.* Hæc enim fœx hominum ſæpe morbos exiguos in graves, & lethales mutat, hinc empyricis curationes morborum interdicendæ.

An regni populus omni anno *increſcat*, vel *decreſcat* ex bene conſignato annuo numero natorum, mortuorum, & matrimonio junctorum determinari poteſt.

CURA MAGISTRATUS PRO GRAVIDIS.

Cum mulieres uterum gerentes levi ex cauſa abortum patiantur, hinc magiſtratus interdicat*

1. Ne gravidis *terror* incutiatur. Rixæ igitur in locis publicis, mendici cum facie, aut membro monſtroſo circumvagantes, ſimulatio ſpectrorum &c prohibeantur.

2. Ne *verberibus*, aut *tortura*, vel *ſupplicio* afficiatur gravida. Ne innocens infans ob matris crimen pereat.

3. Non porrigantur illicito amore gravidis in pharmacopœis, vel medicamenta ecbolica, nec ve-

* *Cel.* Frank *l. c. I. Band.* S. 291. *Von der Schwangerſchaft überhaupt, ihren Rechten, und vorzügen in gemeinen Weſen.*

næſectio in pede a chirurgis imperitis inſtituatur, ne abortus procuretur.

4. Nec puellæ illicito amore imprægnatæ verbis adeo malis excipiantur, ut abortus ſit timendus.

5. Nullæ pœnæ, nec in eccleſiaſtico, nec in civili foro in crimen illicitæ imprægnationis ſtatuatur, ne infanticidio cauſa præbeatur. Hoc enim unicum eſt infanticidium præcavendi remedium. *

CURA MAGISTRATUS PRO PARTURIENTIBUS.

Ut mulieres gravidæ felici partu a ſua prole liberentur, curam habeat magiſtratus, ut civitas, cui præeſt, inſtruatur **

1. Peritis *obſtetricibus*, quæ nempe ſeverum examen ſubiverunt.

2. Peritis *obſtetricatoribus.* Hinc nullus pro phyſicatu ſuſcipiatur medicus, aut chirurgus, qui non ſimul academico diplomate ſe artem obſtetriciam calere monſtret.

3. *Domo publica* pro puellis illicito amore gravidis; & ſimul adeo pauperibus, ut privatam obſtetricem ſolvere non valeant, ac clanculum parturire poſſint.

---

* *Cel.* WASDA *lauter Wunſch für diejenigen Perſonen weiblichen Geſchlechts, welche zu Falle gekommen. Frankf.* 1781.

** *Cel.* FRANK *l. c.* 1. *B. S.* 605. *Von der in jedem gemeinen Weſen nöthigen Fürſorge für Gebährende, und Wöchnerinnen.*

Planche

Medicina forensis. p. 162

hist. de l'acad. des sciences année 1743

p. 48 observations de Mr Tenon

a ~~Lond~~ l'hotel dieu de paris pen

sur des relevés faits pendant 12 années

il y a eu une operation cesarienne sur

2864,

1 accouchement par le forceps sur 198 accou.

1 accouchement contre nature sur 11

naturels

a londres dans l'espace d'un siecle

la mortalité sur les femmes en couche a

été de 1 sur 59

a geneve de 1 sur 90

a Dublin de 1 sur 110

a Manchester de 1 sur 128

au commencement du siecle elle était

a londres de 1 sur 33 ainsi qu'à geneve

ce que l'on doit attribuer à la perfection de l'art

Un hopital a londres n'a perdu que 1 sur 131

A Londres le nombre des enfants morts
en naiſſant eſt de un ſur 33
Le nombre des couches doubles et de
une ſur 96

Talis domus publica eſt multiplicis *utilitatis.* Optima enim eſt *ſchola* pro obſtetricibus, & obſtetricatoribus. *Infanticidia* arcet; *nutrices* pro mulieribus, quæ lactare nequeunt, ſuppetitat; multas matres, & prolès *conſervat*; fœminas infelici amore ſeductas ad *virtutem* ſæpe reducit.

CURA MAGISTRATUS PRO INFANTIBUS NEONATIS.

Infantum neonatorum cura, & educatio parentibus eſt committenda, at ne tanta neonatorum copia adeo cito iterum moriatur, bona methodus infantes educandi eſt matribus in calendariis, vel aliis libellis tradenda.

Habeat vero magiſtratus curam,

1. ut infantes a parentibus ob paupertatem, vel ob illegitimitatem, vel aliam cauſam *derelicti*, ſeu in vias publicas expoſiti in *domum publicam prolium expoſitarum* ſuſcipiantur, nutriantur, & educentur.

2. ut pro matribus quæ proles ſuas lactare nequeunt, & pro infantibus derelictis, vel expoſitis ſemper nutrices adſint, *domus publica* in qua nutrices conſcribuntur, & an ſanæ ſint, examinantur, eſt conſtituenda. *

* *Détail de la nouvelle direction du bureau des nourrices à Paris. A Paris* 1775. & *Cel.* FRANK *l. c.* 2. *Band. S.* 373. *von der Beſtellung des Ammenweſens und erſter Verpflegung mutterlos zu erziehender Kinder.*

CURA MAGISTRATUS PRO EDUCATIONE PHYSICA INFANTUM.

Cum tanta obſervetur infantum mortalitas, ut ex mille infantibus intra primos octo annos pene dimidia illorum pars iterum moriatur, hinc magiſtratus curam habeat, ut bona educandi methodus parentibus præſcribatur, atque cauſæ mortalitatis infantum amoveantur. *

Cauſæ primariæ, quæ infantes in prima ætate rapiunt, ſunt,

1. *Malus victus*, hinc matres adſtringendæ, ut proprio lacte ſuas proles nutriant. Lac enim nutricis minus convenit, & educatio ope pulmentorum adhuc deterior eſt.

2. *Variolæ* **, quarum atrocitas *domo inoculatoria* poſſet minui, hæc vero extra urbem in loco circumvolato fiat, ne ſani a varioloſis inficiantur. ***

3. *Convulſio*, quæ a dentitione, a vermibus, ab acrimonia primarum viarum originem habet, bona curandi methodo mitigatur.

---

* *Cel.* Frank l. c. 2. B. S. 515. *von der Geſundheits-Pflege der lernenden Jugend.*

** Ita Pariſiis intra ſex menſes 13550 interierunt. *Ill.* Halleri *Elem. Phyſ.* T. VIII. p. 99. lib. XXX.

*** *Cel.* Lettsom *Nachrichten von dem allgemeinen Diſpenſatorio in Londen. Altenburg.* 1777. p. 141.

4. *Oppreſſio infantum in lecto*, hæc introductione lectuli italici *Arcuccio* dicti avertitur. *

Pro infantibus *pauperibus*, & *derelictis orphanotrophium* eſt bene inſtruendum, vel cum in eo mortalitas infantum ob aeris corruptionem, & victum incongruum adhuc valde magna obſervetur, potius ſingulatim ruſticis, & civibus pro educatione expenſis publicis tradantur. **

CURA MAGISTRATUS PRO MORTUIS.

Ut mortui rite, & non vivi ſepeliantur, conſtituat magiſtratus publicum *cadaverum inſpectorem*, interdicat ſepulturam ante 48. horas, & ne ullum cadaver niſi inſpectum ſepeliatur.

Conſtituatur autem pro hac re chirurgus peritus, qui ſimul ex ſcientia cadavera examinandi ſpecimen proprio examine dedit.

Officium inſpectoris cadaverum eſt, ut inquirat,

* *Cel.* FRANK l. c. 2. B. 209. S. iconem hujus lectuli exhibet, & p. 205 dicit: in Svecia omni anno 650 infantes oppreſſione perierunt.

** *Cel.* MEISNERS *Abhandlungen über die Frage: ſind die Findel-Häuſer vortheilhaft oder ſchädlich? Göttingen.* 1779. & *Cel.* STARK, atque *Cel.* HAUN *Abhandlungen über die Vergleichung der Vortheile der in Waiſenhäuſern, und der durch Vereinzelung der Waiſenkinder, Hamburg.* 1780. — *Cel.* FRANK l. c. 2. B. 443. S. *von Findlings, und Waiſenhäuſern.*

1. An *vera mors* in cadavere adſit, ne quis *vivus* ſepeliatur.

2. An ſigna mortis *naturalis*, id eſt, ex morbo ortæ adſint.

3. An non ſigna *mortis violentæ*, nempe vulnerationis, ſuſpenſionis, contuſionis, compreſſionis &c. deprehendantur. In hoc enim caſu cadaverum inſpector nullum det atteſtatum pro ſepultura, ſed rem illico ad forum criminale deferat.

4. An cadaver fœmineum non ſit *gravidum*, quod ex abdomine ſupra oſſa pubis prominente, ex motu in abdomine, ſi fetus eſt vivus, & in caſu dubio ex orificii uterini exploratione ſciri poteſt. In hoc caſu curet cadaverum inſpector, ut fetus illico operatione cæſarea ex matre mortua exſcindatur, & ut, ſi vivat, ſacro baptiſmate conſpergatur.

5. Si cadaver ſtatim a morte *valde putreſcit*, aut *contagium* ſpargit, ut variolæ, morbilli, febris putrida maligna, præſertim vero peſtis, tunc omnem *oſtentationem* cadaveris prohibeat, & ſepulturam jam intra 24 horas jubeat.

6. An non *dubiæ mortis* ſigna in cadavere deprehendat, tunc ſepulturam tam diu prohibeat, donec putredo aperta certam mortem indicit.

SIGNA MORTIS ſcitu neceſſaria ſunt,

1. Quando cadaver *ſepeliendum*.

2. Quando cadaver legaliter *diſſecandum.*

3. ——— de neonati *vita*, vel *morte* judicandum.

Signa mortis in ſigna *certa*, & in ſigna *ambigua* dividuntur. *

Signa *ambigua* ſunt,

1. *Reſpiratio nulla*

2. *Pulſus* cordis, & arteriarum non percipiendus.

3. *Frigus* corporis totius.

4. *Rigor* articulorum.

5. *Inſenſilitas* ad omnem ſtimulum.

6. Laxus *hiatus ſphincterum.*

7. *Sanguis* ex vena ſecta *non fluens.*

8. *Sanguis tenuis in ore.*

9. *Odor cadaveroſus.* **

10. *Cornea* oculi collapſa, ſicca,

Hæc enim ſigna aliquando in apoplecticis, & ſubmerſis adfuerunt & homines quandoque tamen adhuc vivebant, & adhuc reſuſcitabantur.

Signa mortis certa. Mors adeſt, quando cordis irritabilitas adeo periit, ut nullo adhibito ſtimulo revocari poſſit, hinc

1. Sola *perpetuitas* horum ſignorum, at conjunctorum, ut eadem ſimul perpetuo increſcant, &

* *Cel.* BRINKMANN *Beweis der Möglichkeit das einige Leute lebendig können begraben werden. Duſſeldorf* 1772

** *Ill.* HALLERI *Elem. Phyſiol.* T. VIII. lib. XXX. p. 122.

2. *Aperta putredo* corporis continuo aucta certa ſunt mortis ſigna.

Morbi in quibus certa mors ante putredinis evidentis ſigna vix detegi poſſunt, ſunt aſphyxiæ ſubito ingruentes in hyſtericis fœminis, apoplecticis, epilepticis, catalepticis, congelatis, ſubmerſis, ſuſpenſis, aere mephytico ſuffocatis, in infantibus neonatis, a nutrice compreſſis, ab alto delapſis.

Si ergo cadaverum inſpector nulla ſigna mortis violentæ, vel mortis dubiæ in cadavere invenit, tunc *necrologium* pro admittenda ſepultura ad parochum loci ſcribat, in quo necrologio mortui contineatur.

1. *Nomen*, & *cognomen*.
2. *Ætas*.
3. *Sexus*.
4. *Conditio*,
5. *Morbus*, quo periit.
6. *Medicus*, *chirurgus*, vel *empyricus* qui illum tractavit, vel an morbus fuerit naturæ relictus.
7. *Locus*, in quo mors contigit.
8. *Hora*, *dies*, & *annus* mortis.

Multiplicem *utilitatem* inſpectio cadaverum, & legitima necrologiorum conſignatio habet, nam

1. Sic *homicidia*, *infanticidia*, *autochiriæ* deteguntur.
2. Præcavetur, ne quis ſepeliatur *vivus*.

3. Morbi *epidemici*, *endemii*, & morbi loco quem inhabitamus maxime *infeſti* nec non
4. *Empyricorum* pernicioſæ curationes publico innoteſcerent.
5. Demum ex necrologiis rite conſignatis naturalis, & morboſa *mortalitas*, *ſalubritas*, & *inſalubritas* locorum, & temporum; *numerus* incolarum, & ſi necrologia cum baptismologiis conferuntur *populationis incrementum*, vel *decrementum* & plura alia ſciri poſſunt.

Sepultura mortuorum non tantum in eccleſiis, ſed etiam in cœmeteriis circa muros civitatis plane prohibeatur. Et locus pro cœmeterio ad quadrantem horæ a civitate diſtans, ſat amplus, aere perflatus, arboribusque hinc inde circumvalatus aſſignetur.

Cadavera ad ſex pedum profunditatem inhumentur, & feretrorum apertura, atque oſſium putreſcentium exemptio plane interdicatur, inde enim miaſma putridum late ſpargitur, * ac febrem putridam excitant.

---

* *In Gazette ſalutaire No.* XXIV. & XXV. funeſta narrantur hujus rei hiſtoriæ. In eccleſia S. Divonis nocte feretra quorumdam ſepultorum aperiebantur, & cadavera exuta in foſſam cum adſperſa calce, ut citius computreſcant, præcipitabantur. Veſpillones lapide foſſæ impoſito aufugerunt. Nihilominus vapores putridi adeo tamen emanarunt, ut ſequenti die cultus divinus adeo turbaretur, ut maxima pars hominum exire coacta fuerit,

CURA MAGISTRATUS TEMPORE LUIS PECORUM.

Cum plurimarum regionum divitiæ a pecorum multitudine, & ſalubritate pendeant, cum demum res publica pecorum uſu carere nequeat, hinc ingens oritur calamitas, ſi morbo contagioſo integris regionibus rapiantur armenta.

---

odor fœtidus non eccleſiam ſolum occupavit, ſed ædificiis ex adverſo poſitis adeo communicatus fuit, ut incolis nauſea fuerit excitata.

In urbe *Talento* veſpillones foſſam pro defuncto non ſatis profundam fecerunt, feretrum itaque obtegebant terra, quam pedibus comprimebant. Paucis diebus poſt exhalationes cadaveroſæ ex ſepulchro emanantes templum ſenſim ita adimplebant, ut illud derelinqui deberet. Conſilium capiebatur corpus exhumandi: E tribus veſpillonibus qui hanc translationem in ſe ſuſcipiebant, duo inſigniter vomebant, tertius in febrem incidit, & decem aut duodecim diebus poſt moriebatur. N. XXVI. In vico *Saulieu* in templo aperiebatur ſepulchrum pro ſepelienda muliere febri putrida defuncta. Veſpillones detegebant feretrum cadaveris, quod ante 6 hebdomadas ſepeliebatur. Cum fœmina foſſæ mandaretur, ipſius & alterum feretrum aperiebatur, illico odor adeo fœtidus oriebatur, ut omnes, qui aſſiſtebant, exire cogerentur. Inter 190 homines 114 graviter ægrotabant, ſicuti etiam prædicator, vicarius, & veſpillones. Interim ultra 18 ex toto hoc numero mortui non ſunt, inter quos prædicator, & vicarius primi e medio tollebantur.

Ne ergo lues inter pecora ingruat, magiſtratui incumbit vigilantia, ut

1. *Aer*, *pabulum*, & *potus*, quibus pecora vel in paſcuis, vel domeſticis ſtabulis utuntur, nec non ut ipſa *ſtabula* ſint ſalubria.
2. Ut *medici*, & *chirurgi*, qui phyſicatui præſunt, pathologiam rei veterinariæ calleant.
3. *Fabri ferrarii*, ac *pecorum paſtores primarii* non aſſumantur, niſi qui rei veterinariæ collegia audiverunt, & teſtimonium academicum de facto examine veterinario exhibent.

Lues autem pecorum, vel in locis *vicinis*, vel in loco *proprio* incipit. *

Si lues pecorum in *locis vicinis* adhuc eſt, tunc curet magiſtratus,

1. ut veterinarii adventitia armenta ſedulo inſpiciant, an non ægrotent,

---

In Diario anglico, ſeu *London Magazin. menſ. Sept.* 1752 memorabilis etiam proſtat hiſtoria. Veſpillo aperiebat ſepulchrum, in quo ante 30 annos vir quidam variolis defunctus ſepultus erat, percuſſo operculo feretri extemplo odor fœtidus exiit. Paucis diebus poſt 14 ex adſtantibus variolis corripiebantur, & omnes incolæ hujus pagi hunc morbum nondum paſſi duobus exceptis decubuerunt. Notabile eſt variolas omnia oppida, quorum incolæ ſepulturæ adfuerunt, invaſiſſe.

* *Veterinarius oder Unterricht von der Behandlung, Kur und Wartung der Pferde und des Hornviehs. Gotha.* 1780. 2ten *Theil* p. 335. *Vorſorge der Landespolizey.*

2. ne ex peregrinis locis ſine atteſtato ſanitatis adventitia armenta emantur, & inquilinis miſceantur.

3. Pecora autem ex locis infectis adlata in confiniis jam illico remittantur.

Si vero lues in *proprio loco* incipit, tunc

1. Armenta *ægrotantia* a ſanis illico removenda ſunt. Averſatio pabuli, defectus ruminationis, & lanquor ſunt primaria morbi indicia a veterinariis inquirenda.

2. *Famulis*, qui ægrotantibus armentis ſerviunt, ſana pecora adire interdicatur.

3. Veterinarii periti morbi indole examinata, & congruis remediis incaſſum tentatis illico armenta ægrota *mactari* curent, & damnum mactati animalis ex caſſa publica loci reſarciatur.

4. *Cadavera* animalium demortuorum, vel ob morbum mactatorum pelle vel detracta, vel hinc inde inciſa profunde ſepeliantur, & multa terra contegantur. Inhumatio cadaverum in loco diſſito fiat, ad quem armenta ſana devenire non poſſunt.

5. *Inoculatio* in animalibus adhuc ſanis eſt tentanda, an hæc morbum arceat.

6. Demum interdicatur *eſus carnium* armentorum cum lue mactatorum, ne incolæ inde ægrotent, nec *coria* animalium contagio mortuorum in uſum adibeantur, niſi coria in loco infecto ope

aquæ calcis vivæ eo usque macerentur, donec pili ſecedant. * Coria vero animalium *carbunculis* mortuorum inficiunt. **

CURA PRINCIPIS PRO SCHOLIS MEDENTIUM.

Ut res publica peritis medentibus, nempe eruditis medicis, chirurgis, pharmacopœis, obſtetricibus ac veterinariis poſſit provideri, neceſſarium eſt, ut *adminicula* omnia, quibus medendi ſcientiæ doceri, ac diſci poſſint, a PRINCIPE clementer ſuppetitentur.

Sunt autem *adminicula* hæc generatim,

1. Docti *Profeſſores*, horum ſit numerus pro tot tradendis doctrinis ſufficiens. Hi ſint viri ingenio, peritia, probitate & diligentia ornatiſſimi.
2. Traditio *omnium partium*, quæ artem medendi conſtituunt.
3. *Requiſita phyſica* ad doctrinas medicinales tradendas neceſſaria, quæ mox nominabo.
4. *Bibliotheca* inſtructiſſima pro qualibet doctrina.
5. Selecti *libri ſcholaſtici*, in quos commode prælegi poſſit.

---

* *Ill.* VAN SWITEN *Comment.* T. I. p. 141. dicit: experientia docuit, coria animalium contagio demortuorum in uſum adhiberi poſſe, licet contagium iis inhæreat, dummodo mox in aqua calcis vivæ eo usque macerentur, donec pili ſecedant.

** *Cel.* TODE *Med. chirurg. Bibl.* 8. *B.* 3. *St. S.* 618.

6. Boni *correpetitores*, qui privatim cum ſtudioſis collegia audita repetunt.

7. *Examina rigoroſa* ex qualibet doctrina ſingulatim inſtituenda. Hæc inſtituantur publice, & ſi examinatores in canditato nec ſufficiens ingenium, nec memoriam neceſſariam pro ſcientia, ex qua examinantur, obſervant, tunc penitus a ſcientia tales canditati removeantur.

8. *Locus* demum in quo facultas medica tegit, ſit adeo conſtitutus ut *noſocomia* ægrotis neceſſariis inſtrui poſſint; ac ut pauperes *ſtudioſi* cum levibus expenſis ſtudia ſua per requiſitum tempus abſolvere poſſint. Hinc facultas medica ſolummodo in maximis civitatibus, ſeu metropoli regni conſtruantur.

9. Demum bona *norma ſtudiorum*, quæ ordinem, jura, methodum examinandi & morum academicorum politiam continet, præſcribatur. *

FORMATIO MEDICORUM. Ut eruditi formentur medici, neceſſarium eſt, ut tales ſolummodo canditati ad ſtudium medicinæ admittan-

* *Cel.* HOFFMANN *Unterricht von dem Collegio der Aerzte in Münſter. Nebſt den münſteriſchen Medicinalgeſetzen. Münſter* 1777. — *Heſſiſche Medicinalordnung und Geſetze.* Caſſel 1778. — *Ill. L. B.* de STÖRCK *inſtituta facultatis medicæ Vindobonenſis. Vindobonæ* 1775. — *Cel.* BRINKMANN *Patriotiſche Vorſchläge zur Verbeſſerung der Medicinal-Anſtalten, hauptſächlich der Wundarzney und Hebammenkunſt auf dem platten Lande. Düſſeldorf* 1778.

tur, qui ingenio, memoria & reliquis ad medicinam requiſitis phyſicis & moralibus pollent. Hi

1. *Omnes medicinæ* partes intra quinquennium audiant. Sunt autem partes medicinæ præter phyſicam, & matheſim,

   1. *Hiſtoria naturalis* præſertim *Botanica.*
   2. *Chemia*, & *Pharmacia practica.*
   3. *Anatome*, & *Hygrologia.*
   4. *Phyſiologia.*
   5. *Materia medica*, cum *Toxicologia*, *Re cibaria*, *Hydrologia minerali*, & *Pharmacia medicinali.*
   6. *Pathologia generalis.*
   7. *Pathologia ſpecialis*, & *Praxis clinica*, cum *Caſuiſtica.*
   8. *Hiſtoria medicinæ* & *Notitia authorum.*
   9. Demum audiat quilibet medicus *chirurgiam*, *artem obſtetriciam*, & *artem veterinariam.* Nam medicus ſine chirurgiæ ſtudio adeo parum ac chirurgus ſine medicinæ ſtudio valet.

Adminicula ad doctrinas medicas tradendas neceſſaria ſunt,

1. *Muſeum hiſtoriæ naturalis.*
2. *Hortus botanicus*
3. *Laboratorium chemicum* optime inſtructum.
4. *Theatrum anatomicum.*
5. *Noſocomium practicum.*

Formatio chirurgorum. Bonos chirurgos in plurimis locis germaniæ adhuc nimis inveniri paucos communis quærela eſt. *

Obſtacula, quæ chirurgiæ progreſſum impediunt, ſunt,

1. *Aſſumptio ineptorum candidatorum pro chirurgia*, nempe qui nec phyſicas, nec morales capacitates ad chirurgiam addiſcendam neceſſarias habent. Sine ingenio enim, ſine neceſſariis ſcientiis præliminaribus, ſine neceſſariis linguis, ac ſine ambitione honoris nemo bonus poteſt fieri chirurgus.

2. *Methodus chirurgiam in officina tonſoria* per triennium diſcendi. Totum enim hoc tempus in barbitonſura perditur, & pauciſſimum re-

* Magnus in chirurgia vir Illuſtris nempe RICHTER in *Chirurg. Bibliotb.* 3. B. 2. St. S. 286. dicit: Leider iſts wahr, und man mus ſich deſſen ſchämen, das unſere jungen Wundärzte beym Barbierbeken auferzogen werden, und in ihren Lehrjahren kaum etwas mehr lernen, als Pflaſterſtreichen und Aderlaſſen. Dis iſt ſchon hundertmal geſagt worden, und oft genug ſo laut, das es diejenige hören konnten, in deren Macht es iſt, der Schande abzuhelfen; aber immer iſt die Sache geblieben, wie ſie war: das iſt, die geſetzgebende Macht in den mehreſten Orten Deutſchlands findet es noch immer für gut, das Leben und die geſunden Glider der Unterthanen den Badern, und Barbierern, für das geringe Geld, welches dieſe für ihr Privilegium erlegen, auf Diskretion zu über-

linquitur

linquitur tempus pro lectione authorum & frequentatione collegiorum.

3. *Paupertas candidatorum chirurgiæ.* Hæc enim etiam finito ſic dicto tirocinio chirurgico impedit ulterius, ut hi ſibi bonos authores comparare, collegia & noſocomia practica per ſufficiens tempus frequentare poſſint. *Maligna* enim nimis ſunt ſtipendia ſodalium ſic dictorum chirurgicorum, aſſiſtentium in noſocomiis, chirurgorum ſubalternorum rei militaris &c.

4. *Neglectum ſtudium omnium chirurgiæ partium.* Nam præter anatomiam, & chirurgiam practicam pauciſſimi quid aliud audiunt. Hinc rudes adeo in ipſis his duabus partibus manent, cum hæ ex integro ſine reliquis partibus ut phyſiologia, materia chirurgica, arte obſtetricia &c. intelligi nequeant.

5. *Contemptus denique chirurgorum*, qui fere ubique locorum longe nimis infra medici dignitatem deprimuntur. Inde quorumdam chirurgorum ſervilis adeo vivendi ac cogitandi norma. Hæc ratio eſt, cur omnes fere chirurgiæ tirones,

geben. Und man entſchuldigt ſich nicht, wenn man ſagt, das die Barbierer unter der Aufſicht der Aerzte ſtehen: auf dem Lande, und hier iſt vorzüglich das Schlachtfeld, iſt keine Aufſicht, und wie viel Aerzte gibt es denn in Deutſchland, die in wichtigen chirurgiſchen Fällen rathen können?

qui capacitatem & media ſe ſuſtinendi habent, cito ad medicinam transfugi fiant. *

6. *Levitas examinis chirurgici*, in quo præter anatomiam maxime vulgarem, & chirurgicos morbos maxime obvios paucum intra duas horas examinari ſolet.

7. Defectus *adminiculorum phyſicorum* ad chirurgiam docendam, & diſcendam neceſſariorum. Nempe

1. *Theatrum anatomicum*, in quo tantus cadaverum numerus ſemper præſto ſit, ut ipſi tirones in cadaverum diſſectione anatomica & operationibus chirurgicis ſe ſufficienter exercere poſſint.

2. *Noſocomium practicum* multis ægrotis morbo chirurgico laborantibus inſtructum, in quo praxis clinica demonſtrari poſſit.

Si ergo hæc obſtacula chirurgiæ progreſſum impedientia non amoveantur, nunquam Germania multos bonos habebit chirurgos.

Ut ergo boni formentur chirurgi, opus eſt,

1. ut nulli pro chirurgia aſſumantur *candidati*, qui non linguam latinam, germanicam & gallicam

* *Cel.* VOITUS *zwey Reden an die jungen Wundärzte. Berlin* 1780. p. 102. dicit vir eximius: Wer etwas mehr als gemeinen Menſchenſinn und Geld hat, dünkt ſich zur Wundarzneikunſt weit zu klug, und wird ein Uiberlaufer zur Medicin. Wer wollte auch nicht für ſein baares Geld lieber Herr als Knecht ſeyn.

callent, atque neceſſarias capacitates phyſicas & morales poſſident.

2. Ut chirurgiæ ſtudium non in officina tonſoria, ſed in *noſocomio chirurgico* vel ſub directione *doctoris chirurgiæ* & ſolis in locis, in quibus *facultas medico-chirurgica* habetur, per triennium peragatur.

3. Ut *paupertati* ſtudioſorum chirurgiæ conſulatur, *Alumnatus chirurgicus* erigatur, in quo ex munificentia principis pro exigua ſolutione annua ſtudioſi chirurgiæ nutriuntur, educantur, docentur.

4. *Omnes chirurgiæ partes* a Profeſſoribus, quorum ſufficiens conſtituatur numerus, tradantur, & a diſcipulis audiri teneantur. Sunt autem Partes chirurgiæ.

1. *Anatomia*, *Hygrologia* & *Phyſiologia.*

2. *Pharmacologia chirurgica*, *Doctrina de faſciis*, & *Doctrina de inſtrumentis.*

3. *Pathologia chirurgica generalis*, & *ſpecialis* cum *Doctrina de operationibus chirurgicis.*

4. *Doctrina de arte obſtetricia* cum *Doctrina de morbis mulierum*, & *morbis infantum.*

5. *Doctrina de morbis oculorum*, *Doctrina de morbis dentium*, *Doctrina de morbis venereis*, *Doctrina de morbis cutaneis*, & *Doctrina de medicina*, & *chirurgia forenſi.*

6. *Praxis clinica, & Caſuiſtica de morbis chirurgicis.*

7. Demum *Hiſtoria chirurgiæ*, & *notitia Authorum*, tradantur.

Chirurgi demum omnes præſertim vero *rurales*, & *caſtrenſes* non ſolum omnes partes chirurgiæ ſed etiam *materiam medicam*, *pathologiam generalem*, & *ſpecialem de morbis internis*, atque *praxim clinicam medicinalem* audire teneantur.

5. Ut *contemptus chirurgorum* ceſſet, omnibus chirurgiæ doctoribus idem honoris character, & eadem ſtipendii quantitas elargienda eſt. Hæ res ſolæ multos forſan magni ingenii viros ad chirurgiam alliciet.*

6. *Examina chirurgica* ſint valde rigoroſa, fiant publice in auditorio chirurgico, & ex qualibet ſcientia ſaltem principali deponatur peculiare

* Dico forſan, nam pauci, etſi eodem ac medici gaudeant jure, ea animi indole, quæ ad operationes chirurgicas peragendas neceſſaria eſt, inſtruuntur. Ipſe maximus HALLERUS *Biblioth. chir.* T. II. p. 171. dicit: „ Etſi „ chirurgica cathedra per ſeptemdecim annos mihi con„ credita fuit, etſi etiam in cadaveribus difficillimas ad„ miniſtrationes chirurgicas frequenter oſtendi, non ta„ men unquam vivum hominem incidere ſuſtinui, ni„ mis ne nocerem veritus. „ Cui aſſerto adhuc accedit, quod multo ſit commodius conſilia chirurgo dare, lithontripticum v. g. vel corticem peruvianum præſcribere, quam lithotomiam v. g. vel amputationem alicujus membri ipſe facere.

examen, adeo autem ut omnes doctrinæ in tribus examinibus, quorum quodlibet ſpatio duarum horarum duret, cum candidato percurrantur.

Finito bene facto examine *diſſertationem chirurgicam* pro laurea chirurgica obtinenda publice defendat.

FORMATIO PHARMACOPŒORUM exigit, ut

1. Nulli, niſi requiſitis ad pharmacopœum dotibus inſtructi tirones admittantur.
2. Ut *Hiſtoriam naturalem*, *Chemiam*, & *Pharmaciam* adeo audiant, ut ex his ſcientiis rigoroſum ſubire poſſint examen.
3. Ut ipſi approbandi aliquot ex difficilioribus *proceſſibus pharmaceuticis* coram examinatoribus præparent.

FORMATIO OBSTETRICUM. Ut boni formentur *obſtetricatores*, & *obſtetrices* neceſſaria ſunt,

1. *Profeſſor artis obſtetriciæ*, qui vero ſimul *morbos mulierum*, & *morbos infantum* tradat.
2. *Domus publica* pro parturientibus, & infantibus neonatis, in qua tironibus praxis obſtetricia demonſtrari poſſit.
3. Ut *obſtetricatores* & *obſtetrices* per medium annum, ſed prius auditis collegiis obſtetriciis, praxim obſtetriciam frequentare teneantur.

Formatio veterinariorum. Ut periti formentur *veterinarii* opus eſt,

1. ut *Profeſſor artis veterinariæ* conſtituatur,
2. — *Noſocomium veterinarium* erigatur,
3. — *Chirurgi*, *fabri ferrarii*, & *paſtores primarii* hanc medicinam audiant, & ut fabri ferrarii atque paſtores rigoroſum ex eadem præſtent examen.

CURA MAISTRATUS PRO SOSTRO MEDENTIUM.

Ut medentes ſoſtrum labore dignum obtineant, & ægroti reconvaleſcentes, aut hæredes poſt obitum ægroti, morbo incurabili defuncti, ſoſtrum medentibus non denegare poſſint, ſtatuat magiſtratus *fixam taxam* pro medentibus.

Taxa autem ſolummodo pro hominibus mediocris ſortis ſtatui poteſt; nam *pauperes* ſolvere nequeunt, ac *divitum* generoſitati præſcribi non debet.

Si ægrotus moriatur, tunc pharmacopœus & medentes omnium creditorum primi ex hæreditate defuncti ſolvantur. Si enim pro defunctis ſolutio eſſet incerta, tunc ægroto, morbo incurabili laboranti, nemo medentium aſſiſtere vellet.

Taxa pro doctore medicinæ.

Pro *prima viſitatione*, in qua morbi maxima diſquiſitio fieri debet, ſolvatur ſoſtrum *duplex*.

Pro *reliquis viſitationibus* ſoſtrum detur *ſimplex*; idem vero ſit, præſcribat medicus, vel non præſcribat formulam medicamenti.

Pro *viſitatione nocturna* ſolvatur ſoſtrum *duplex.*

Pro *itinere ad ægrotum* ſolvantur tot ſoſtra *duplicia*, quot miliaria medicus proficiſci debet.

Pro *conſilio medicinali ad ægrotum* ſolvantur cuilibet medico præſenti ſoſtra *triplicia*; pro *conſilio ſcripto* transmittendo idem detur.

Pro præſcriptione formulæ in *domo medici*, ſi nempe ægrotus medicum adit, vel ad medicum pro formula mittit, ſolvatur ſoſtri ſimplicis pars media.

Phyſicus vero loci præter ægrorum privatorum ſolutiones, adhuc honeſtum *ſtipendium annuum* habeat.

TAXA PRO CHIRURGIÆ DOCTORE. Hæc eadem fit ac pro medicinæ doctore, ſi ſolummodo præſcriptio formulæ eſt facienda. Si vero operationem majorem perficiendam habet, tunc peculiare pactum cum ægroto eſt ſtatuendum. At ne operatoris avaritia pactum exageret nimis præcaveat magiſtratus.

TAXA PRO MAGISTRO CHIRURGIÆ. Pro ſimplici deligatione, aut præſcriptione ſolvatur medietas ſoſtri, quod chirurgiæ doctori datur. Pro minoribus vero operationibus chirurgicis ut venæſectione, veſicatorii, hyrudinum, fonticuli applicatione detur ſoſtrum *triplex.*

TAXA PRO PHARMACOPŒO. Huic medicamenta juxta *taxam medicamentorum* introductam ſolvantur.

TAXA PRO OBSTETRICE. Huic pro partu naturali ſoſtrum chirurgicum triplex, pro verſione fetus detur ſoſtrum ſexduplex, pro reliquis viſitationibus ſoſtrum detur chirurgicum medium.

TAXA PRO EMPYRICO. Huic ſolvatur nihil, ſi audaciam haberet ſuam ſolutionem coram magiſtratu civitatis exigendi.

SALARIA PROFESSORUM adeo ſint conſtituta, ut viros magni ingenii alliciant ad ſe ſcientiis medicis conſecrandos, atque ne opus habeant pro ſuæ familiæ intertentione curis agitari, aut lateralis lucri vias quærere. Hæ enim res ingenia obtundunt, tempus ſtudio rapiunt, & mentem deprimunt.

Sed *privati* illorum labores literarii ſunt privatim remunerandi, aut nummis, aut titulis, aut inſigni quodam ordinis literarii, his enim emolumentis ſolis ſcientia noſtra capit incrementum.

F I N I S.

BUDÆ,
TYPIS REGIÆ UNIVERSITATIS.

6f